DE

GLANDULIS THORACIS LYMPHATICIS ATQUE THYMO

SPECIMEN PATHOLOGICUM

SCRIPSIT

ET

AMPLISSIMI ORDINIS MEDICORUM BEROLINENSIS

AUTORITATE

AD

SUMMOS IN MEDICINA AC CHIRURGIA HONORES RITE CAPESSENDOS

DIE IX M. IANUARII A. MDCCCXXVI

PUBLICE DEFENDET

FERDINANDUS GUILELMUS BECKER

GUESTPHALUS.

OPPONENTIBUS:

A. Leue, M. D.

A. Krohn, M. DD.

L. Stromeyer.

CUM ICONIBUS TRIBUS.

BEROLINI

TYPIS ACADEMIAE REGIAE SCIENTIARUM.

MDCCCXXVI.

AD

HENRICUM LOMBARDUM

GENEVENSEM

PROOEMIUM.

En tibi, dilectissime amice, commentationem, quam ut diuturni tomporis usus apud nos exigit, summos in medicina honores assecuturus conscripsi. Diu incertus eram, qua de re scriberem, tale potissimum quaerens argumentum in quo pro virium tenui modulo, possem hisce studiis prodesse aliquantulum.

Tu quidem scis quanto cum ardore, dum Edinburgi simul versaremur in anatomen incubuerimus morbosam, hoc imprimis studio liberos nos vindicaturi a systematum in medicinam non prudente imperio sed refraenato arbitrio. In itinere vero hoc ipso anno a me facto, Britanniae, Hollandiae, Germaniae clarissima perlustranti pathologica musea satis multa sese obtulerunt quae ad hoc studiorum genus pertinerent. Nihilominus Berolinum venienti, tanta fortassis novarum rerum copia obruto, certa deerat in qua elaborarem materia.

In qua me dubitatione haerentem egregie adiuvit vir humanitate aeque ac summis doctrinae laudibus excellens, RUDOLPHIUS: qui museum quod in hac urbe floret academicum, Walteri (ut notum est tibi) praeparata continens, perscrutandi mihi fecit copiam, amplosque bibliothecae suae thesauros aperuit; historias denique aegrorum duorum benigne mecum communicare voluit, quas una cum

partibus morbo affectis museum academicum diligentiae debet et liberalitati doctissimorum virorum D. Bieske, medici Berolinensis et Dross, Stettinensis.

His instructus subsidiis morbos quosdam organicos glandularum thoracis praecipue atque thymi conatus sum adumbrare. Collatis igitur quotquot apud autores invenire possem exemplis et opinionibus, additisque iis quae a memetipso essent observata, duas illas quae traditae erant mihi aegrorum historias subiunxi, partiumque morbosarum descriptionem iconibus illustravi. A quo quidem proposito anatomicam et physiologicam illorum organorum descriptionem mox animadverti haud alienam fore, praesertim quum illi qui in hac quaestione hucusque versati sunt autores, tum obiter solummodo eam tetigerint, tum diversissimas proposuerint sententias, quarum ego et descriptiones emendatiores reddere, et discrepantes opiniones inter sese conciliare studui. Unde tandem specimen istud meum pathologicum exortum vides: quod iam tibi offerro mutui nostri amoris tesseram. Ex quo si fructum quenquam te percepisse sentiam, pergratum quidem id scito fore mihi: longe vero gratissimum, si ad similem in hoc literarum genere laborem te excitaverim, cui tantus Parisiis favet omnium subsidiorum apparatus.

Vale igitur, neque eam qua hactenus coniuncti fuimus amicitiam tanta locorum longinquitate infirmari patiaris.

Scribebam Berolini ipsis Calendis Ianuarii MDCCCXXVI.

ARGUMENTUM. I. De glandularum lymphaticarum fabrica et usu. II. De glandularum lymphaticarum in thorace apparatu. III. De harum natura, atque de materie nigra: de melanosi excursus. IV. De earum morbis in genere. V. De tumoribus vel sarcomatis autorum observationes. VI. Aegri cuiusdam historia et epicrisis. VII. De concretionibus osseis et cretaceis in glandulis. VIII. De tuberculis. IX. De fungo medullari aliisque quibusdam morbis. X. De thymi structura. XI. De eiusdem usu. XII. De eiusdem varietatibus atque morbis autorum observationes. XIII. Insigniora quaedam exempla. XIV. Nostra aegri cuiusdam historia et epicrisis. XV. Quaedam de tumoribus observationes non ad glandulas revocandis. XVI. De omnium illorum morborum symptomatis atque diagnosi.

I.

Pauca habeo quae de glandularum lymphaticarum [1] natura in universum praemoneam, priusquam ad illarum quae in thorace sitae sunt historiam me accingam. In qua statim quaestione maximam videmus anatomicorum dissensionem. Praetermissa tamen vana illorum lite, qui de istarum glandularum tunicis externis harumque disputaverint irritabilitate (Nuckii, Malpighii, Lancisii), illa potius quae de intima illarum fabrica a praecipuis viris proposita fuerunt, breviter exponam.

Ruyschius igitur glandulas solummodo vasis constare credidit lymphaticis conglomeratis: Albinus etiam pro vasorum glomeris illos habuit. Meckelio I. [2] glandula plexus apparuit vasorum e lymphatico ortorum, magnitudine tamen discrepantium („intersertis minimis nodosis"), ita ut plures in pauciores confluant efferentes. Mascagnius [3] vasibus lymphaticis cera repletis se demonstrasse credit, glandulas e vasis tortis et involutis esse coalitas: „vasa discurrunt et iterum junguntur;

(1) Qua voce, licet barbara, utimur et uti debemus, quum nulla sit emendatior obvia; sensu omnino differenti antiqui voces *lympha* et *lymphaticus* usurparunt, de quo vide I. D. Hahnii praefat. ad Hewsoni Descript. syst. lymph. a I. T. van de Wynpersse lat. vers. Traiecti, 1783.

(2) Diss. de vas. lymph. glandulisque conglobatis ad Hallerum. Berol. 1772. p. 14.

(3) *Geschichte der einsaugenden Gefäfse. Herausg. von Ludwig. S. 45.*

tenuiora fiunt, tunc extenduntur *in cellulas* (scilicet e vasorum tunicis formatas) et iterum contrahuntur.'' Quem secutus est Ioannes Gordon ([1]) atque alii.

Béclardus ([2]) autem sic exponit glandularum fabricam: ,,Les vaisseaux paraissent communiquer dans les glands de deux manières: par des extrémités capillaires semblables à celles qui dans le systême sanguin finissent les artères et commencent les veines, et en outre par des renflemens qu'on ne saurait mieux comparer, qu'aux renflemens analogues qui surmontent les veines dans les tissus érectiles. C'est dans ces renflemens qu'est contenue cette matière blanchâtre que Bichat place d'apres Haller dans les cellules particulières, et que l'on trouve plus abondant chez les enfans.''

Ab his vero autoribus, nullam glandulis telam cellulosam concedentibus, differunt omnes qui insequuntur, cellulas proponentes, quibus lympha e vasis infundatur, vel lymphaticis vel sanguiferis. Nuckius e fibris vel muscosa quadam fabrica construi glandulas putavit: Malpighius acinos rotundos intus cavos in area fibrarum positos, plenos liquore pellucido, cinereo, in morbis vero tartareo descripsit. Quam etiam Morgagnius defendit sententiam. I. G. Gmelinus ([3]) vere cellulosam esse glandularum structuram monuit. Et Haller ([4]) in cellulosa spatiola succum seponi credidit serosum: cum illo Vogelius ([5]) cellulosam descripsit tenuiorem, lymphaticorum quidem fines non accipientem, sed ex arteriolarum tamen ostiis liquidum tenue recipientem. Cruikshankius ([6]) deinde accuratius cellulosam indagavit structuram inter vasorum lymphaticorum congeriem in glandulis sitam, quam et Soemmeringius se vidisse testatur ([7]). Werner et Feller ([8]) demum in glandulis mesaraicis, quas solas describunt, sic enarrant lymphaticorum distributionem: ,,lymphaticorum rami, postquam quartam partem superficiei glandulae emetitae sunt, nunc penicilli in modum diffusi totam glandulam innu-

([1]) System of Anatomy. Vol. I.

([2]) Additions à l'anatomie générale de Bichat. Paris, 1821. p. 131.

([3]) De gland. mesentericis. Tubing. 1725.

([4]) Elem. Physiolog. VII. p. 211. Et: De corp. hum. fabrica I. p. 33. In *primis lineis physiologiae* vero solis lymphaticorum ramis lympham contineri docuit.

([5]) De vasorum lymph. glandularumque conglob. utilitate. Halae, 1761. p. 22.

([6]) Anatomy of the absorbent vessels p. 82. *Ludwig's Übersetzung S.* 77.

([7]) Apud: *Hallers Grundrifs der Physiologie. Berlin,* 1788. p. 40.

([8]) Vas. lact. atque lymphat. descriptio. Lips. 1784. p. 22.

meris sese decussantibus minutis vasculis pingunt. In media glandula cavum fere semper deprehenditur, ex quo novum sub exitu flexum sive armatum quasi infundibiliforme secretorium dicendum vas exoritur." Bichatus (1) in cellulosam (*tissu celluleux*) glandularum liquorem secerni docuit.

Haec autem opinionum de glandularum structura differentia inde orta mihi esse videtur, quod plerique observationes suas ope cerae vel mercurii fecerint in illarum vasa lymphatica iniecti. Constat enim, vel arterias vel venas, vel etiam vasa lymphatica partis qualiscunque, quae illis vasis abundat, cera vel mercurio adeo posse repleri, ut totum fere organum ex unius vel alterius vasorum ordinis congerie compositum videatur. Sic vulgatissimum id praeparatum, intestina foetus, arteriis cera rubra repletis, vix spatium superesse doceret in organis illis ulli alii vasorum generi vel texturae, quum tamen earundem partium vasa lymphatica e. g. in piscibus tanta mercurii impleri possint copia, ut vix ullum remaneat spatium, quin si punxeris vas lymphaticum vulneretur.

Factitiam ergo et in illorum experimentis vasorum lymphaticorum distentionem obortam esse putaverim, qui ex illorum vasorum glomeris solummodo glandulas constare crediderunt: qua reliqua illarum structura, imprimis vero tela cellulosa compressa oculis subduceretur. Telam autem illam cellulosam revera adesse, succo suo proprio plenam, minimis arteriarum ramis refertam, quem etiam glandulae lymphaticae transcurrunt, certiorem me fecisse credo, quum glandulas inquirerem sanas, tam nudo oculo quam microscopii ope. Contra non modo dubium mihi videtur, sed ne veri quidem simile, quod vasa lymphatica in illam aperta desinant telam cellulosam, atque lympham suam in illam effundant.

Vasa sanguinea accipiunt glandulae lymphaticae plurima: arteriae quidem nonnunquam ex uno, qui in glandulam se immergit ramo in illa distribuuntur, saepius vero sanguis a diversis advehitur ramulis (2). Quoad venas, temperare mihi non possum, quin structuram animadvertam peculiarem, novum scilicet exemplum veritatis iam diu experimentis repertae, contradicentium vero clamoribus statim suffocatae, longe neglectae, usque dum Germanica huius aetatis diligentia eam resuscitaret.

(1) Anat. génér. Paris, 1801. T. II. p. 632. (2) Cruikshank. l. c. p. 75. Versionis, p. 69.

Loquor enim de venarum cum vasis lymphaticis in glandulis iunctura a Meckelio I. (¹) clare et distincte exposita, a Meckelio II. comprobata et a quodam eius discipulo (²) publici iuris facta, a plerisque vero negata ad novissimos usque annos, quibus post tot de vasorum absorbentium venarumque usu disputamina, tot supervacanea, Gallorum praecipue, experimenta Fohmannus (³) tam in humano corpore, quam in diversarum classium animalibus lymphaticorum in venas ora extra dubitationem posuit.

Superest, ut de glandularum nostrarum agamus *nervis*, quos Malpighius atque Nuckius olim descripserunt, recentiores plerique negant. Mascagnius nullos invenisse testatur; Walteri (⁴), summi neurologici aeque ac Wrisbergii (⁵) aciem fugerunt. Werner et Feller (⁶) quidem ,,in media glandula (mesaraica) ex eam perforante nervo aliquas nervosas fibrillas in eam immitti conspexerunt, praeterea quoque a vasis arteriosis nervis instructis illas quosdam nervosos ramulos in sinu suo continere credunt.'' Et Schreger (⁷) in cane inguinales glandulas nervorum fines accipientes notavit. Soemmeringius (⁸) vero, quanquam summum impenderet laborem, nervorum tamen fines in glandulis distributos non conspexit: sic etiam Béclardus (⁹): ,,On peut voir des filets nérveux arriver et les traverser, mais il est très difficile de savoir si quelques filamens s'y terminent ou si tous ne font que traverser.'' Quaecunque autem de his statuerimus observationibus, physiologica tamen atque pathologica argumenta nobis persuadere videntur, nervorum ipsos ramulos ab illis accipi glandulis. Non enim fieri potest, quin vasa sanguifera, quorum tam copiosa est in glandulis distributio, in membranis suis nervos quosdam secum afferant; atque in secernendo illo quo scatent glandulae liquore vim nerveam partem quandam agere, omnino crediderim: inflammationes etiam quaedam glandularum (bubones) dolore se manifestant, qui ultra omnem dubitationem ponit nervos in ipsis glandulis adesse.

(¹) Nova experim. et obss. de finibus venarum ac vasorum lymphaticorum. Berol. 1772.

(²) Lindner spec. inaug. de lymphaticorum systemate. Halae, 1787. Ubi fusiorem etiam illius systematis invenies historiam litterariam.

(³) *Über die Verbindung der Saugadern mit den Venen. Heidelb.* 1821.

(⁴) Tabb. nerv. thor. et abdom. Berol. 1783.

(⁵) In Comm. Soc. Gotting. Vol. IX. 1788.

(⁶) L. c. p. 22.

(⁷) *Beiträge zur Saugaderlehre S.* 248.

(⁸) *Vom Baue des menschl. Körp.* II. *S.* 516.

(⁹) Eius Anat. génér. Paris, 1823. p. 315.

De glandularum lymphaticarum *usu* obiter pauca faciam verba; quem coniecturis solummodo iisque magnopere discrepantibus viri docti attigerunt, quod profecto aliter fieri non poterat, quum nec de *vasorum* lymphaticorum vera functione, nec de *lymphae* sic dictae natura quidquam certi habeamus. Quodsi ponamus lympham, fluidum a vasis lymphaticis resorptum, ad glandulas advehi; tunc istae illius motum vel iuvare poterunt, vel impedire; ipsi vero lymphae poterit vel auferri aliquid, vel addi (1).

Lymphae itaque motum glandularum apparatu celeriorem reddi crediderunt Malphigius, Nuckius, Bergerius, Mylius, Lancisius; tunicae glandularum musculosas sibi fingentes contractiones, illis similes quas cor subit. Retardari contra motum voluerunt Duvernoy et Gmelinus (2) in glandulis mesaraicis, quominus sanguis nimio lymphae accessu inundaretur; cui Mascagnius (3) favet sententiae. Quantitatem lymphae augeri sibi persuaderunt Ruyschius: Malpighius secretum ex arteriis adiungi, Nuckius subtiliorem fieri, Boerhavius, Cowper et Mascagnius dilui illam asserentes. Haller (4) etiam tenuem liquorem in cellulas effundi et cum lympha mixtum amoveri voluit. Goodall (5) eandem illum liquorem lymphae praebere utilitatem voluit, quam succus gastricus cibis admixtus. Auferri aliquid putaverunt Glissonius et Whartonus, nervis succum puriorem et mitiorem resorberi fingentes. Bohnio placuit lympham dilui, crassioribus in ipsa glandula relictis partibus; Meckelii vero uterque et Metzgerus, venarum cum lymphaticis innitentes iuncturae, lymphae partem a venis glandularum excipi docuerunt. Vasorum tandem longitudinem augeri, lymphaticorum copiosiori lymphae receptui aptam, proposuit C. G. de Muiller (6). Nec Hewsoni omittenda est sententia, qui sanguinis partem quandam illic parari finxit, observationibus quibusdam fretus microscopii ope, sed minus accurate, in sanguine factis. Cruikshankius (7) a vasis inferentibus lympham in glandulae telam cellulosam effundi, ab efferentibus iterum resorberi, indeque sanguini similiorem forsan fieri credidit.

(1) Vide C. G. de Muiller Physiolog. syst. vas. absorb. Lips. 1793.

(2) L. c.

(3) L. c. *S.* 49.

(4) De corp. hum. fab. 8vo. I. p. 351.

(5) Diseases of the absorbent system. Lond. 1811. p. 25.

(6) L. c. p. 48.

(7) *Zusätze zu seiner Geschichte in Ludwig's Beiträgen* III. *S.* 8.

Quae omnia quam sint dubia et incerta, primus docet conspectus. Glandulas in systemate lymphatico non absolute esse necessarias, illarum arguit defectus in amphibiis et piscibus, ubi vasa lymphatica simplicia corpus transcurrunt, tam in venas minores quam per ductum thoracicum in subclaviam succum suum exonerantes ([1]). Si vero egomet usum quendam ut tribuerem glandulis rogarer, ad motum lymphae moderandum aliquid ab illis conferri posse cum Gmelino dixerim, indeque cautum putaverim, ut ne nimia simul sanguini admisceatur lymphae chylique copia; quorum tandem partem in illis ad minores venarum ramos distribui, partem vero solummodo ductui thoracico advehi contenderim. Succum vero illum, quo saepe glandulas videmus scatentes, a lympha plane differre, et in telam cellulosam ab arteriis effundi, mihi verisimilius videtur: quae vero huiusmodi secretionem efficiant causae, pariter ac cui inserviat usui, omnino me latet. De ipsius lymphae tandem natura nihil habeo quod dicam. Quae de illa ab antiquioribus congesta sunt scriptoribus multum abest, quin accurata perscrutatione sint confirmata; recentiores autem plerosque magna rei difficultas a tali quaestione deterruit.

II.

Sequitur ut ad glandularum lymphaticarum in *thorace* apparatum me convertam: omnes igitur quae ibi inveniuntur glandulas hic enumerabo, quorum tamen aliae saepius, aliae rarius afficiuntur morbis. Non facile est in ordinem illas quendam redigere quum tam variis in thorace sparsae sint locis. Van den Bosch in quinque classes eas dividit, primam illarum quae thoracis partem anteriorem curant, lateralem et posteriorem; secundam intercostalium; tertiam illarum quae in mediastino anteriore sunt sitae; quartam dorsalium, et tandem quintam bronchialium. Meckelius III. glandulas notat parietum thoracis, mediastini anterioris, eiusdem posterioris, et pulmonicas vel bronchiales.

Ego autem melioribus quae exstant horum organorum descriptionibus collatis, cum illis quae mihimetipsi contigit observare, glandularum quantum fieri potest distinctam concinnare expositionem conabor, Mascagnii praecipue atque Cruikshankii ante oculos habens immortalia opera.

([1]) Hewsonus. Fohmannus.

Glandulae thoracis lymphaticae in tales apte dividi possunt, quae illius occupant parietes, talesque quae in ipsis visceribus distributae sunt. Ad primum genus revocandae sunt:

1) *glandulae sternales* vel *mammariae*, quas primus Petrus Camper (¹) descripsit atque delineavit, dein Soemmeringius (²) notavit, Mascagnius (³) vero accuratius depinxit, Cruikshankius (⁴) etiam animadvertit. Quae glandulae parvae, numero decem vel duodecim, pone sternum collocatae sunt, arteriarum mammariarum internarum comitantes cursum; ut vero illas conspicias, musculi triangularis sterni disseces necesse est fibras tendineas. Vasa autem lymphatica accipiunt tam illa quae in hepate ascendunt infra processum xiphoideum, quam quae a mammis prodeunt. Ex supremis glandulis efferentia procedunt vasa ad subclavias in latere sinistro in ductum thoracium desinentes, in dextro autem in lymphaticos illos truncos, qui venae subclaviae dextrae infundunt lympham.

2) *Glandulae intercostales* prope costarum capitula praecipue inveniuntur inter musculos intercostales; vasa lymphatica excipiunt intercostalia, et ad ductum thoracicum mittunt vasa sua efferentia. Optime illas delineatas invenies apud Mascagnium (⁵).

3) *Glandulae diaphragmaticae*, quinque vel octo, in illo diaphragmatis loco distributae, ubi pericardio iungitur. Etiam vasa quaedam hepatis lymphatica accipiunt, nec non diaphragmatica: et lympham mittunt ad ductum thoracicum (⁶).

Ad illas vero quibus ipsa gaudent thoracis viscera, glandulas revocari debent tracheales, bronchiales, pulmonales, cardiacae et oesophageae (⁷).

1) *Glandulae* quidem *tracheales*, licet apud Mascagnium (⁸) lucide delineatae sint, ab autoribus non distincte describuntur; vel enim plane negliguntur, vel bronchialibus accensentur. In utroque autem

(¹) Verhandeling over den waaren Aart der Kankerwording. 1772.

(²) De morb. vas. absorbent.

(³) Ichnogr. Tab. XXVI. Ludwig Tab. VI. fig. 1. 75. 76. et fig. 2.

(⁴) Anatomy etc. p. 128. Ludwig *S.* 123.

(⁵) Ichnogr. Tab. XIX. Ludwig. Tab. IV.

(⁶) Ichnogr. Tab. XXVI. Ludwig. Tab. VI. 64. Cruikshank. l. c. *Glandulam mediastinam superiorem* notant Werner et Feller (l. c. p. 36.) hepatica vasa lymphatica atque diaphragmatica excipientem.

(⁷) Omnes fere vulgo *bronchiales* dicuntur, quas vero mihi liceat nominibus accuratius distinguere; quanquam enim minutis huiusmodi distinctionibus in organis praecipue tam similibus vix opus sit, tamen carere illis non possum in morbis glandularum accuratius describendis.

(⁸) Ichnogr. Tab. XXI. Ludwig. Tab. V. 53. 58.

tracheae latere ad illius divisionem usque glandulae illae parvae descendunt. In tabula, quam adieci tertia, sanae conspiciuntur (*q*) quamvis partibus morbosis undique circumdatae; in prima vero in insignes tumores sunt versae.

2) *Bronchiales* sensu vocis strictiori illae appellari possunt glandulae, quae tracheae bifurcationi adnatae sunt, paucae solummodo — tres vel quatuor — sed plerumque maiores quam reliquae ([1]).

3) *Pulmonalium* nomen illis imposuerim quae ad pulmonum radicem inter bronchiorum divisiones maiores minoresque inveniuntur; quae vero etiam in toto pulmonum parenchymate atque superficie hic illis occurrunt, praecipue ad basin. Vix tamen monuisse opus est, non de illis glandulis quaestionem esse, quae a nonnullis in membranam bronchiorum mucosam collocantur ([2]).

4) *Cardiacas* glandulas duce Cruikshankio ([3]) dico illas quae numero quatuor vel sex, ad cordis basin et circa vasorum magnorum originem positae sunt, in latere dextro inter carotidum initia, in sinistro inter arcum aortae et asperam arteriam. In statu sano parum distinctae sunt; quum vero de morbis disseremus, saepius de illis sermonem faciemus. Vasa lymphatica e thymo illas accipere monuit Mascagnius ([4]).

5) *Oesophageae* denique glandulae in mediastino posteriori sitae sunt, prope oesophagum, ubi vasa quaedam hepatis profundiora lymphatica et oesophagi illas permeant. A Vesalio ([5]) primum descriptae sunt.

III.

Omnibus thoracis glandulis lymphaticis nunc enumeratis, de illarum *proprietatibus* paullo latius disseram. Eae quidem quas in thoracis parietibus sitas descripsi, non a communi glandularum structura differunt; illae contra quae ut antea dixi vulgo appellantur bronchiales, omnes

([1]) Mascagni Ichnograph. Tab. XXI. Ludwig. Tab. V. 18. — Tabula mea II. *r.*

([2]) Mascagni Ichnograph. Tab. XXI. Ludwig. Tab. V. 5. 13. 14. 15. — In tabula mea prima (*k, l.*); in tertia (*k.*).

([3]) L. c. — Mascagni Tab. XXI. XXII. Ludwig. Tab. V. 11. Tab. VI. 85. 87. Lancisius iam illas delineaverat: De corde et aneurysmate. Tab. III. Fig. 1. *F. F.* Liquorem pericardii ab iis secerni credidit.

([4]) Ludwig. *S.* 84.

([5]) Opera. Amst. 1725. Tom. I. p. 416. Depictae in Fig. 14. et 15. *F. F.*

scilicet, quae inter thoracis viscera inveniuntur, quaedam habent sibi peculiaria.

Glandulae enim illae in infantibus [1] et plerisque iunioribus hominibus colore rubicundi sunt, succo uberiore et albido repleti, qui calore concrescit. In adultis autem color ille sensim mutatur et in senibus tandem atrocoeruleus fit vel niger, quo tempore etiam glandulae humore scatent nigrescente, qui pigmentum praebet fuscum. Quam quidem coloris mutationem, nisi alia quaedam illam comitetur affectio, satis constat non pro morbo esse habendam.

Inter illum vero qui tussi eiicitur mucum, et fluidum quod continent glandulae bronchiales, similitudinem quandam finxerunt antiqui, quum praesertim viderent, mucum illum frequenter vel optima valetudine fruentium hominum, imprimis mane substantia quadam coerulea vel nigra esse tinctum [2]. Varias inde constituerunt conjecturas. Verheynius [3] e lymphaticarum ordine glandulas nostras plane reiiciens, pinguedinem quandam ab illis secerni finxit, catarrhosque ex illarum oriri obstructione. Senacius ductus, qui fluidum ex iis in bronchos atque asperam arteriam removeant, vidisse testatur, et praecipue in foetu illis implendis augendoque volumine inservire credit. Cui tamen opinioni Morgagnius atque Haller [4] strenue sese opposuerunt.

Recentius vero Portalius novis experimentis huiusmodi firmare conatus est sententiam: duplici glandularum genere pulmones praeditas esse docens: *lymphaticis* scilicet atque *bronchialibus*. Lymphaticas quidem hic illic sitas esse credit in pulmonum superficie atque parenchymate, rotundiores, duriores: bronchiales vero solummodo ad varias asperae arteriae bronchorumque divisiones. Quae autem de illarum structura asserit, ipsis eius verbis enarrabo: ,,Dans l'état naturel on n'apperçoit aucun canal excréteur des glandes bronchiques ... mais j'ai vu plusieurs

(1) In infantibus et foetibus maiores esse, quod a nonnullis propositum invenio, non probatum fuit mihi: in foetu inter alios quatuor fere mensium nullas conspicere potui. — Hewsonius (l. c. p. 34.) semper illas nigrescere docet. In infantibus nunquam non rubicundas vidi.

(2) Sputa illa non ignota fuere Mortonio (Phthisiolog. lib. II. cap. 2. 10.) nec Willisio (Opera. Vol. II. de phthisi pulmonali p. 49.). Inter recentiores, Bree (*über krankhaftes Athemholen, Leipz.* 1800. *S.* 199.) e lucernarum oleariarum fumo illa oriri fabulavit. Lenhossek (Physiolog. medicin. T. III. p. 234.) a fuligine cum aere aspirato in pulmones delata. Laennecius bronchialium glandularum nigritiem illa sputa efficere docet (Auscultation médicale I. p. 297.): quo tamen modo hoc fieri possit, non explicat.

(3) *Anatomie, Leipz.* 1714. *S.* 428.

(4) Elem. Physiol. III. p. 150.

fois, si clairement la liqueur contenue dans les glandes bronchiales couler dans les bronches par quelque orifice, qu'il ne m'est pas permis de douter de leur existence; j'y ai introduit une soie de cochon dans plusieurs sujets de différens ages qui avaient péri de diverses maladies et chez lesquels les glandes bronchiques étaient gorgées de quelque humeur. ... Quand on coupait ces glandes par le milieu, on y distinguait une petite cavité, et leur substance considerée de près et à l'oeil nu, ou à la faveur d'une loupe, paraissait formée de diverses cellules, ovulaires, percées d'un orifice, qui correspondait dans la cavité commune et moyenne du corps glanduleux, structure assez analogue à celle qu'on observe dans les reins succenturiaux" (¹).

Ductus illos etiam Wichelhausen se vidisse narrat, et accuratius eos describit: recentioribus vero anatomicis non sese obtulerunt. Meckelius (²) e. g. frustra illos a se quaesitos fuisse testatur: ipse quoque nec ductus nec caveam illam in medio glandulae invenire potui. Revera ad lymphaticas referendas esse glandulas nostras, Hewsonii (³) experimentis ab omni dubitatione revocatum est, qui per vasa lymphatica illas mercurio implevit.

Substantiam glandularum nigram, a Portalio obiter descriptam, Georgius Pearson (⁴) accuratius investigavit, qui in omnibus fere hominibus eam invenit a vigesimo inde anno mortuis: atque pariter in animalibus quibusdam domesticis maturioris aetatis: equis (⁵), asinis et cato. Chemica, quam ille instituit analysis, haec praecipue praebuit momenta: acida mineralia, quae totum fere dissolvunt glandularum substantiam, materiem nigram relinquunt intactam, quae etiam cum nitro deflagratur: igne vero decomposita acidum dat aceticum, Carbonium, Hydrogenium atque aquam. Pearsonius inde sibi persuasit, materiem illam tam pulmonum quam glandularum bronchialium nigram, carbonem esse animalem *liberum*, non vero substantiam, cuius partem tantummodo constituat Carbonium. Originem illam ducere putat e particulis minimis aërem pervolantibus, e carbonis vel ligni combustione oriundis:

(¹) Mém. sur plusieurs Maladies. T. II. p. 251. Eandem docet doctrinam in libro de Phthisi pulmonali. Notandum vero, quod in recentiori, quem edidit libro (Anatom. medicale, T. V. p. 43.), minus distincte illam explicet, immo non neget, bronchiaes inter lymphaticas revocandas esse glandulas.

(²) *Menschl. Anat.* IV. *S.* 00.

(³) L. c. p. 34.

(⁴) Philosoph. Transactions for 1813. *Meckel's Archiv.* 3. *Bd. S.* 259.

(⁵) Ipse in equo nigrescentes vidi.

quae in cellulas pulmonum cum oxygenio receptae ipsis pulmonibus colorem communicent, tunc vero vasorum resorbentium ope ad glandulas ducantur bronchiales, quas pariter colorent. Sententia mehercle Londinensem suam prae se fert originem, ex urbe proveniens semper involuta nubibus carboniferis. Ratio autem phaenomeni constantis et semper eiusdem non in illis quaerenda est, quae casu nonnisi fortuito eveniunt.

De illo non minus, quam de aliis sanis morbosisque pigmentis, ingeniose disseruit Carol. Frid. Heusinger (1), qui magno cum acumine, ad unam illas revocavit originem, nimiam quippe carbonis vel in toto corpore, vel in organo aliquo evolutionem, vel retentam illius excretionem. Cujus vero quum omnium in manibus esse mereatur liber, inutile foret, eius sententiam latius exscribere: id solum dixisse contingat, me plurimam illi in re tam difficili debere lucem, nihilque magis dolere nisi hoc, quod de glandularum pigmento non plura disseruerit.

Glandularum bronchialium miscroscopio observans structuram, in nonnullis vidi telam cellulosam humore albido repletam, maculis vel striis tantummodo nigris transiectam: in aliis vero omnino tam fluidae quam solidae partes nigri erant coloris. In pluribus autem glandulis, (optime in equina animadvertere mihi contigit, cuius lymphatica vasa lympha scatebant albissima) intellexi materiam illam nec in sanguiferis vasis esse effusam, quae colore rubro distinxi, minima et quam nitidissima, nec in lymphaticis, quae albida erant; sed per totum glandulae parenchyma, forma minimorum punctorum irregulariter dispersorum; vasa autem ab hac materie omnino immunia remanebant.

Quae observatio Reifseifsenii (2) infirmare videtur opinionem, qui quum, pulmonum fabricam minutissime examinans, in bronchorum minorum interstitiis materiem videret nigram, utpote *in illis locis ubi vasa lymphatica accumulentur*, in ipsis illam haerere vasis lymphaticis putavit, atque ab iis in glandulas bronchiales transferri. Ita enim respirationem fieri asserit, quod pars illius, quae e sanguine secernitur materiae, a vasis lymphaticis semper excipiatur atque abducatur: qui quidem in foetu et infantibus fortius fiat processus, debilius in adultis; unde eveniat quod materia nigra, quam ille etiam carbonem credit, se-

(1) *Untersuchungen über die anomale Kohlen- und Pigment-Bildung. Eisenach,* 1823.

(2) *Reifseifsen und Soemmering über d. Bau der Lungen S.* 40.

ponatur. Quae quidem sententia, per se satis dubia, magis etiam labefactatur illa quam attuli observatione.

In inquirenda materies pulmonum nigrae, melanosis, melaenae atque aliorum pigmentorum natura et origine, praemonstratam nobis ab Heusingero viam ulterius prosecuti, facile tam diversa phaenomena explicabimus, et ad communem analogiam revocabimus.

Quum enim satis constet, respirationem pulmonum Carbonium e corpore auferre; dubium nihilominus remanet quonam modo Carbonium ad aeris contactum perveniat, utrum nempe per cellulas aeris Oxygenium in sanguinem agat, an alia qualicunque ratione immediate Carbonium attingat. Quam mutationem aliter mihi explicare non potui, nisi duplici quadam posita actione: altera *sanguinis* respuentis quasi Carbonium et secernentis; altera aeris Oxygenii, secretum auferentis. Parum vero ad nostram refert quaestionem, solidane an aërea forma praebens sese fingamus Carbonium.

Facile autem evenire potest, ut duplex illa actio impari ratione procedat: quodsi maiorem Carbonii copiam in pulmonibus secernat sanguis, quam Oxygenium recipere atque in acidum carbonicum convertere valat, tunc uberius hocce secretum Carbonium sub nigrae illius, de qua loquimur, materiae specie deiicitur, vel ut chemici dicunt, *praecipitatur*. Unde necesse est, in illis, quae undique aëris Oxygenio perviae sunt pulmonis locis, parcius, in illis vero, ubi ille aditus impeditur, abundantius secernatur. Quod inde etiam apparet, quod in senibus in superficie praecipue, maioribusque maculis materia illa (ubi nempe aër illam adire nequibat), in ipso autem parenchymate rarius conspiciatur ([1]).

Quae vero in pulmonis parenchymate (vel tela cellulosa communi) gignitur materia carbonacea, illa etiam in tunicae mucosae bronchorum superficie locum habet: et haec quidem mihi videtur causa sputorum illorum nigricantium, de quibus supra locutus sum.

Talem equidem materiae nigrae finxi originem in pulmonibus. Unde vero illa in glandulis bronchialibus? Delicatior sane quaestio, quae

([1]) Pulmonum omnino atrorum egregia exempla invenies apud Bayle (Rech. sur la Phthisie pulmonaire. Obs. 20. 21. p. 211.), ab illo nomine Melanoseum praedita. Notandum, quod in altero ex illis exemplis cutis flavesceret, aeger enim eodem tempore scirrho ventriculi laborabat. Pariter apud Bréschet (Considérations sur une altération organique appellée dégénération noire, p. 13.) plures notantur melanosi affecti scorbutici quibus cutis flavescebat.

tamen duplici potest ratione resolvi: vel enim, ut plerique voluerunt — vasis lymphaticis e pulmonibus transmittitur — vel simili ac in pulmonibus processu in illis etiam paratur. Prima vero sententia parum mihi placet: materiem enim talem plus minusve solidam a vasis lymphaticis suscipi et ad glandulas certas semperque easdem, et ut videtur non ultra vehi, quae insuper in ipsis vasis a nemine unquam animadversa, et a memetipso incassum quaesita fuerit, non mihi persuadere potui. Nostrum ergo est videre quonam modo in ipsis glandulis possit oriri.

Vim sanguini inhaerentem supra posui, qua Carbonium in pulmonibus excernatur: quae sicut in pulmonibus solum valet originitus, ita in vicinis etiam partibus sese manifestat: et inter vicinas partes quaenam aptiores ad huiusmodi secretionem videntur quam glandulae bronchiales? quippe quae maiorem sanguinis copiam excipiant, et in vasorum suorum apparatu diutius illum retineant, quam omnes aliae texturae (1).

Glandulae quidem bronchiales proprie sic dictae atque pulmonicae saepius atque uberius materia implentur nigra, quam tamen in oesophageis quoque saepe conspexi: illa autem nulla ab ipsis pulmonibus accipiunt vasa lymphatica, quibus materia afferri potuerit (2).

Immo ultra vis illa progreditur, quando semel morbosa quadam ratione se manifestat: nam ut taceam eiusdem materiae exsudationem in spatiis intercostalibus a me observatam, ubi pseudomembrana pulmones illis adhaerebant, totam *melanoseum* classem ad ipsam hanc originem revocandam puto. Neque possum, quin a Laenneccio (3) dissentiam, melanosin inter nigramque illam materiem discrimen statuente. Argumenta quibus illius nititur sententia, varia quippe utriusque substantiae tinctoria vis, diversaque chemica analysis, haud quaquam sufficiunt mihi: alterum enim plane admitti nequit; alterum vero, si diversas consideres chemicorum de illa re observationes, firmiore carere videtur fundamento.

(1) Minus recte Bichat dixit colorem glandularum bronchialium nigrum nequaquam a pulmonum oriri vicinitate, quum glandulas etiam lumbares et mesentericas invenerit nigras. Anat. gén. Paris, 1801. T. II. p. 605.

(2) Conspicitur glandula oesophagea materia nigra referta in icone meo tertio. — Soemmerringius in *collo* Africani glandulas lymphaticas vidit nigras. *Vom Bau des menschlichen Körpers. Bd.* III. *S.* 514.

(3) De l'auscultation médiate. T. I. p. 294. Lorinser, *Lungenkrankheiten S.* 522.

Neque ego malignam illam melanoseos indolem potui distinguere, quam nonnulli [inter quos Laenneccius (¹)] degenerationi illi tribuerunt. In pluribus sane quae ipse vidi exemplis, ante mortem morbus non agnosci poterat, et lenta tabe aegri exspirabant sine ulla organi cuiusdam maligna affectione (²). In alio vero quod nuper mihi sese obtulit exemplo in variis locis sub cute tumores oborti erant atrocoerulei: quorum unus sub axilla positus et pro scirrho habitus cultelloque remotus, melanoseos insignem molem sese monstravit. Aegro etiamnunc vivo omnes illi tumores magnitudine tantum sua non vero maligna quadam natura molestiam videbantur afferre. Attamen credo melanosin ex eadem vi oriundam quae Carbonium ex sanguine excernere studet, morbosamque illam in variis corporis partibus exsudationem causae cuidam vel potius causis compluribus occultis tribuendam esse. Quod ita esse apparet e magna symptomatum diversitate in variis melanoseos quae tradita sunt exemplis. Illam vero exsudationem satis constat in parte aliqua corporis maligno morbo iam correpta, ita nonnunquam supervenire ut prioris morbi imaginem minus distinctam reddat (³).

Quam tamen quaestionem altius prosequi, ultra propositi mei fines longe me abduceret; quapropter ad ipsos glandularum thoracis morbos illustrandos iam me converto.

IV.

De *morbis* igitur glandularum thoracis in genere nunc acturus, id ante omnia moneo, me non perfectam velle et quasi systematicam ex-

(¹) Les mélanoses produisent tous les effets locaux et généraux des autres cancérs lorsqu'elles sont développées en certain nombre dans nos organes et on les trouve souvent *réunies à une ou plusieurs autres espèces de productions morbifiques* dans les tumeurs cancéreuses composées. l. c. p. 295. Posteriorem vero illius sententiae partem veriorem credo quam priorem.

(²) Quorum duo descripta invenies in Transactions of the Medico-Chirurgical Society of Edinburgh. 1823.; quem librum me nunc ad manum non habere maxime doleo, Guilielmi Cullen ingenuo de hac re commentario ita destitutus.

(³) *„Im Augapfel ist diese (bei dem weichen Krebs oder Blutschwamm desselben) gewöhnlich in äuſserst groſser Menge vorkommende, dem aufgelösten und zersetzten Pigmente ähnliche schwarze und schmierige Masse in der vergröſserten hintern Augenkammer enthalten; die Melanose ist hier offenbar nur ein accessorisches zu der Entartung der festen Theile hinzugekommenes Phaenomen."* Sic recte monet Walther in egregia de tumoribus dissertatione: *Graefe und Walthers Journal Bd.* V. *S.* 567.

ponere illorum historiam. Priorem enim physiologicam dissertationis partem eum in finem adstruxi, ut appareret, quam parum nobis de glandularum lymphaticarum constet officio. Unde facile intelligitur, omnes qui dynamici appellantur illarum morbos (eos dico, quos nullae comitantur mutationes mechanicae), oculos etiam nostros omnemque animadversionem fugere. Quare plures, quos alii autores huc revocarunt morbos praetermitto, aliis vero minorem concedo in nostras glandulas potestatem.

Alii impeditam glandularum functionem hydropis credidere causam, nullis usi certioribus argumentis. — Alii vero catarrhum chronicum (quem multi *phthisin pituitosam* dicunt) ex aucta vel morbosa glandularum bronchialium oriri putaverunt secretione (1): sed quum omnes illae glandulae ad lymphaticas, non ad conglomeratas revocandae sint, talis plane reiicenda est opinio. Haud equidem contenderim nunquam illas in huiusmodi morbis affici posse: attamen me fugit, quaenam sint illae affectiones.

De simplici et acuta etiam inflammatione, in aliis conglobatis glandulis satis bene observatis, in nostris nihil certi novimus (2), quod forsan sedis ita tulit obscuritas. Haudquaquam eorum spreverim sententiam, qui plures organicos illarum morbos ex inflammatorio quodam statu nasci volunt.

Organicorum autem morborum ea plerumque est natura, ut glandulae, aucta mole, ad enormem nonnunquam magnitudinem intumescant. In qua re Soemmeringii imprimis utar observatione, quam in glandulis tumentibus, sive ut vulgo dicitur *obstructis* fecit: mercurium enim vasis lymphaticis infundens, quae ad illas glandulus pergunt, has etiam impleri vidit; unde apparet, accipiendae e vasis lymphae facultatem glandulae tumescentia haud mutari. Id quod confirmat illam quae semper mihi placuit sententiam, quod plerique huiusmodi tumores non e fluidorum vel solidorum in vasis nascantur stagnatione, sed ex infiltra-

(1) Sic Wichelhausen (*Über die Erkenntnifs, Verhütung und Heilung der schleimigen Lungensucht. Mannheim*, 1806.); qui nescio, quas vidit glandulas, omnes bronchorum divisiones comitantes: ipsosque canales describit, qui in bronchos mucum effundant.

(2) Exempla forsan huc referenda sunt, quae Portal enarrat: glandulae bronchiales induratae et in pus resolutae post peripneumoniam, ubi tandem pus in ipsos pulmones penetrare atque phthisin efficere credit. *Über Lungenschwindsucht. S.* 123.

tione vel secretione materiae cuiusdam morbosae in telam cellulosam, quae in statu sano liquido scatet albido.

Magnam quidem partem tumorum, qui e causis variis variisque nascuntur in organis, illam habere originem persuasum est mihi. Materiem pulmonum atque glandularum bronchialium nigram eo modo secerni, microscopica indagatione inveni, quod monui supra: veram melanosin eadem fieri infiltratione consentiunt Laenneccius, Meratus, Walter: de qua re et ipse certiorem me feci; tuberculosae etiam materies hanc esse originem intelligimus, quum vasis partis cuiusdam tuberculis refertae iniiciatur cera, quae omnino in illos non penetrat, sed telam cellulosam solummodo tingit, qua continentur tubercula [1]: similia docet idem experimentum cum vero scirrho institutum: striae enim durae atque albidae, quae nunquam non scirrhum transcurrunt, ceram accipiunt, ab ipsis qui scirrhum constituunt granulis plane reiectam.

Singulare offerunt phaenomenon pleraeque de quibus nunc sermonem feci degenerationes: quum enim per aliquod tempus increverint persteterintque, molliores fiunt atque deliquescunt. Quod de tuberculis omnibus notum est: hepatis sic dicta tubercula (verius fungi medullaris speciem) illam subire mutationem saepius observatum tam aliis quam mihi: nec minus constat, illo processu scirrhum vel in carcinoma converti apertum, vel cavitates in illo formari internas: sed in aliis etiam non tam malignis tumoribus illa observata fuit mutatio: quin in illo, quem infra describam (XIV.), initium illius factum esse observabimus: et melanosin denique fluidam fieri et fluido resorpto in ipso tumore cavitates oriri posse, ipse vidi.

Si vero illa, quam supra exposuimus, de tumorum origine nitimur sententia, hanc etiam explicare possumus illorum mutationem. Secretum enim qualecunque morbidum, quod telam implet cellulosam, tantopere eam comprimit, adeoque vasa eius sanguifera et nervos coarctat, ut vix tandem nutrimenti quid possit afferri. Quo fit, ut pars affecta vivere cesset atque in gangraenae speciem transeat, qua mollior fit atque fluidior. Falso igitur in suppurationem abiisse dicimus tumorem huius-

(1) Tam experimentis quam theoriae hic innitor ingenui atque humanissimi viri Schroeter van der Kolck medici Amstelodamensis, ab illo, uti spero, mox publici iuris faciendis. Praeparata nitidissima partium morbosarum, hanc rem illustrantia, apud ipsum vidi et admiratus sum.

modi emollitione correptum: quum discrimen sit gravissimum inter utrumque processum: alter enim ex inflammatione directe prodit, et specifica a vasis puris secretione; alter vero e morte partis cuiusdam. Hoc monere volui, quum in pluribus huiusce commentationis locis de tumoribus locuturus sim mollefactis.

Attingere quoque debeo opinionem pervulgatam antequam ad speciales morbos me convertam: nexum scilicet, qui inter glandulas intercedere creditur lymphaticas atque morbum quem *scrofulas* dicunt: quem a primis inde pathologiae initiis plurimi autores (1) animadverterunt. Ut ne illos memorem qui in glandulis solam posuerunt scrofulae originem, plerique autores primarie sane illas semper affici putaverunt: aliis morbida vasorum lymphaticorum functione morbus constare videtur. A tantis viris dissentire, posset audacius videri. Quum tamen omnes sic dictorum scrofulosorum morborum compararem formas, aliter nunquam mihi persuadere potui, nisi diversissima corporis organa ab initio inde illis morbis corripi, sedemque quam in systemate absorbente iis tribuerunt pathologici, ortam esse e minus accurata earum indagatione, imperioque consuetudinis propagatam. Quid enim? scrofulosa illa inflammatio, quae piam meningem corripit hydrocephalumque chronicum efficit: illa coniunctivae oculi, membranae intestinorum mucosae (febris infantilis remittentis saepissime speciem gerens), articulorum, tumor albus vulgo dictus: periostei atque ossium, in cariem scrofulosam desinens: ozaena scrofulosa, quae in cartilaginis substantia oriri videtur: tandem atrocissimus ille morbus, quem *lupum* dicunt: — omnes frequentissimi habitus scrofulosi comites, eane omnia secundario solum modo illas afficere partes dicemus? Quid est quod eo nos adducat? nihil profecto aliud, nisi quod saepe tales morbos tumores glandularum comitari vel sequi videamus; contra saepissime illos quos notavi morbos in iis conspicimus, qui nunquam ,,scrofulae glandulosae'' praebuerunt signa (2).

Si vero in re tam ardua meam proponere licet sententiam, *scrofulam* pro dyscrasia habuerim, in inflammationis lentae sed specificae (i. e.

(1) Kortum de vitio scrophuloso. Lemgo 1787. p. 77. — Soemmering de morbis vasorum absorb. p. 84.

(2) Ioannes Thomsonius, semper mihi venerandus praeceptor, egregie illam defendit doctrinam. Lectures on Inflammation. Edinb. 1813. *Übersetzt von Krukenberg.*

cuius natura non nobis innotuerit) forma manifesta ([1]); quae tamen varias et quidem plerasque corporis partes afficiat, nec non id sibi peculiare habeat, quod in iuniori praecipue vigeat aetate. Quum vero glandulae sanguinis liberiorem ac uberiorem accipiant copiam: quum etiam in infantibus atque iunioribus magis vigeant, uberiorque sanguinis copia illis advehatur, duplicem hanc videmur invenisse rationem, qui fiat, ut scrofulae, cum alias corporis partes, tum *illas* quoque, et quidem saepius corripiant.

Quaesiveris fortasse, quem ad finem haec omnia proposuerim? id solummodo cavere volui, ut ne omnes vel plerique glandularum atque imprimis thoracicarum morbi pro scrofulosis haberentur. Nam iisdem, quas illae subeunt, mutationibus atque morbis, alias etiam c. h. partes affici videbis. Morbosae ergo fiunt, si tali dicendi rationi uti licet, non tanquam glandulae, id est vasorum resorbentium congeries; sed tanquam quaecunque pars vasis plurimis praedita et tela cellulosa molli, facilis secretionum morbosarum sedes. Itaque tanquam pulmones materiem accipiunt nigram, accipiunt tuberculosam et osseam: tanquam pulmones tandem accipiunt fibrinam sanguinis, forma minus mutatam, quo gignuntur modo illi, qui a plerisque autoribus inter scrofulosos recensentur tumores.

V.

In illos autem primum inquiramus *tumores*: quorum scrofulosa origo interdum accuratioribus vix vindicari potest argumentis. Si enim tota aegri indoles distincte indicat dyscrasiam scrofulosam: si glandulae partium corporis externarum lymphaticae in tumores abierunt, scrofulosorum signis praeditos: si eodem tempore glandularum mesentericarum affectio illud docuit vitium in corpore latere: si insuper ipsius tumoris glandularum thoracis signa non differunt ab iis quibus scrofulosi semper distinguuntur, tunc, inquam, sane ad illam revocari potest originem.

Saepe vero externae desunt dyscrasiae signa, et tunc accidit, ut vix decerni possit tumoris natura. Nec illa, quae scrofulosam illam indicare dicuntur signa tunc sufficiunt: quae sunt lentus atque indolens il-

([1]) A greater or lefs degree of local inflammation occurs, I am inclined to believe, in every form and stage of scrofulous disorders. Thomson l. c. p. 131.

lius decursus atque tandem suppuratio: tumorem enim quemcunque lento morbo increscere nihil impedit, et quod ad suppurationem attinet iam supra animadverti alios etiam tumores tandem molliores fieri: fluidumque in illis inventum aegre nonnunquam a pure discernitur.

E glandulis, qui in thoracis parietibus sitae sunt, solas *sternales* tumoribus novi affectas. Quas tumentes vidit in phthisi pulmonali et in scirrho mammae Camper (¹); in infantibus scrofulis enecatis Cruikshankius (²); insigniter tumentes, pulmone eiusdem lateris ad dodrantem absumto atque thorace pure repleto, Soemmeringius (³). Una cum bronchialibus in magnos conversos tumores iam narrabo: infra vero exemplum fungi medullaris, qui illas corripuerat.

Glandularum *oesophagearum* tumores multi enarrant autores: Tulpius (⁴) in femina notat letalem, quae ob cibi impeditum transitum marasmo consumebatur: plures describuntur tales apud van Geuns (⁵) et Bleulandium (⁶); quin iam ab antiquioribus autoribus illi inter praecipuas recensentur dysphagiae causas.

Glandulas *bronchiales* tumentes in vomica et exulceratione pulmonum vidit Soemmeringius (⁷): in phthisi pulmonali Camper. Earundem tumor, nucem iuglandem aequans, dirus, ita ut tracheam arteriam atque vasa comprimeret, in infante septem annorum febri lento consumto cum vomitu atque delirio notatur: pulmonibus simul tuberculis atque pure viridescente repletis (⁸).

In illis qui *morbo mucoso*, Goettingae anno 1760 grassante (febris gastricae specie), interemti erant, Roederer et Wagler (⁹) saepius tumores conspexerunt glandularum bronchialium variae magnitudinis.

Isenflamm (⁰) in homine, cuius historia non innotuit, glandulas vidit bronchiales tres, in tumores conversos, quorum plurium pollicum fuit magnitudo, pondus unciarum septem: tracheae partem inferiorem sic dextrorsum premebant, ut veram quasi flexuram sigmoideam formaret.

(¹) Over den Kankerwording p. 10. *Kleine Schriften. Bd.* III. *S.* 168. 177.

(²) *Zusätze, Ludwig Bd.* III. *S.* 12.

(³) L. c. p. 140. apud *Baillie Anatomie S.* 62.

(⁴) Obs. med. L. I. cap. 44.

(⁵) Ex Actis Haarlemensibus in *Sammlung auserlesener Abhandl. zum Gebrauch praktischer Aerzte. Bd.* IV.

(⁶) De sana ac morbosa oesophagi structura; Lugd. Bat. 1785. 4. cum icone glandulae tumentis.

(⁷) L. c. p. 144.

(⁸) *Hufeland, Annalen der franz. Arzneykunde. Bd.* I. *S.* 490.

(⁹) De morbo mucoso. Goett. 1762. p. 156. sq.

(⁰) L. c.

Tumorum autem partes colorem ex coeruleo nigricantem referebant, partes steatomatosae, albidae et durae, denique aliae substantiae durae et coloris fere eiusdem, cuius glandulae scirrhosae et scrofulosae esse solent. Pulmones aliaque viscera sana.

Wrisbergius (1) in puero scrofuloso, cum ,,immensa pulmonum in steatoma degeneratione'' glandulas colli atque bronchiales vidit in scrofulas abeuntes; quarum nonnullae octavum par nervorum, ubi in dextrum thoracem descendit recurrentem formaturum, quum in durissima corpora essent mutata, tali ratione amplectebantur, ut nervum ab hac massa separare plane non posset: idem phrenico eiusdem lateris nervo contigerat (2). In ipsa bronchorum divisione lapidea fere trachealis glandula: de plexibus pulmonalibus ex octavo in hoc latere per eiusmodi ossea fere concrementa ne vestigium quidem inveniendum. In mesenterio glandulae eandem mutationem perpessae erant.

Tozzettius (3) hanc refert historiam: puer tredecim annorum febri hectica correptus est cum pulsu celerrimo, abdomine tumente, tussi et respiratione impedita: pedum tandem hydropico tumore superveniente obiit. Cadavere resecato pulmo dexter pleurae costali adhaerens apparuit, thorax et pericardium sero repleta: cor parvum atque flaccidum. Supra pericardium prope aortae ramos ascendentes tumores videbantur ,,steatomatosi'' variae magnitudinis et simul iuncti molem formantes tres pollices altam, duo latam. Quorum structura ita divergebat, ut alii granulos continere viderentur, alii materia nigrescente scaterent, alii duri, et fere scirrhosi essent. Totus pulmo dexter similibus sed minoribus repletus erat tumoribus. Hepar quater solitam magnitudinem habebat, sana nihilominus structura fruens. Glandula pancreas in tumores steatomatosos conversa erat, similesque tumores in mesenterio apparebant.

Similem historiam narrat Cajolius (4). Homo triginta annorum catarrho laborabat. Tussis inde secuta gravis, in paroxysmis urgens, quam dolores pectoris sinistri comitabantur, respiratio impedita, nonnunquam sibilans, pulsus frequentes, parvi, in brachio dextro minores quam sinistro. Tandem erecto semper corpore lecto insidere coactus erat. Si

(1) Commentatt. medici argum. Goett. 1800. Vol. I. p. 144.

(2) Conf. hist. in S. XIV. a me enarratam.

(3) *Eschenbach's vermischte Bemerk. S.* 51.

(4) Apud: *Sachse über Kehlkopfs- und Luftröhren-Schwindsuchten. S.* 172.

manum imponeres sterno dum tussiret, undae quasi sentires impetum (bruissement) et strepitum (crâquement). — Signa in peius vertebantur, diarrhoea, faciei oedema supervenit, pulsus frequentissimi, denique pedum tumor et mors. — In pectoris cavo sinistro serum inventum est libram fere pondere aequans, minor in dextro quantitas. Ad tracheae divisionem tumor conspectus est, ovo gallinaceo maior, cum trachea ascendens et inter illam et aortam ad arteriae innominatae originem usque porrectus. Angulus vero divisionis tracheae ulceratione correptus, foramen monstravit, plus quam pollicem longum latumque: quod quidem tumor ille obtegebat, qui eo loco ulceratus erat atque in materiem mollem flavescentem conversus. Caeterum membrana circumdatus erat propria, structuraque fruebatur omnino illi simili, qua tubercula pulmonum vel glandulas scrofulosas praeditas videmus.

In museo anatomico Berolinensi ([1]) inferior pars asperae arteriae servatur cum bronchis, viri quadraginta annorum, morte apoplectica extincti. Glandula ad divisionem tracheae in ovi gallinacei molem aucta: aliaeque tam pulmonicae quam cardiacae glandulae tumidae et materiis nigris atque cretaceis refertae. Fierine potuit, ut illi glandularum tumores, sanguinis e capite reditum venis compressis impedientes, apoplexiae causam praeberent?

VI.

Aegri iam historiam satis singularem enarrabo, quam ex schedis doctissimi Bieske, benigne mecum communicare voluit Rudolphius.

Homo unum et viginti annos natus, infirmae semper valetudinis, nec ad duriores labores idoneus, quos tamen saepe subibat, praepositorum timens severitatem, per annum inter equites loricatos stipendia meruerat. Exercitationes militares male sustinebat; ultimo praecipue tempore equo citius vehens pectoris angustiam sentiebat atque dolores in utroque eius latere: tussi tandem sine eiectamento correptus est. Nec ultra tamen talem vitae modum sustinere valens, nosocomium militum adiit. Corpus tum macrum, faciem pallidam monstravit, animum plane moestum ac depressum: pectoris angustiam accusavit, glandularum colli tumores, artuum lassitudinem et totius corporis infirmitatem. Magnopere

([1]) Mus. anat. Tom. I. p. 677.

in patriam redire cupivit, sanitatem ibi reducem fore persuasus. Pulsus interea debiles, quare nulla sanguinis detractio facta est, sed decoctum radicis Althaeae, Nitrum et Aqua Laurocerasi illi porrecta sunt: quibus remediis paucis diebus paullulum convaluit, nullum pectoris morbum sentiens, sed solam debilitatem querens. Quum vero magis magisque marcesceret, medici ineptum eum declaraverunt perferendis illis, qui cum militari vita coniuncti sunt laboribus, et e nosocomio illum die vigesimo Augusti dimiserunt. Trigesimo vero Septembris die iterum ibi receptus est, militari nihilominus interea officio functus. Aucta vero corporis macie, multum febricitabat, et quamvis medicamentis aptaque diaeta primo tempore reficeretur aliquantulum, febris tamen mox augebatur cum pulsibus parvis, vix percipiendis, tremulis: sine auxilio movere sese omnino non poterat. Patriae desiderium interea semper aderat, et ut illic proficisci sibi permitteretur, omnes dolores tam pectoris quam aliarum partium celabat; cibos etiam bene comedebat, quin solidiores postulabat. Ultimis vero vitae diebus saepe vomebat. Die vigesimo tandem Octobris ea fuit sensibilitas, ut lucem non toleraret, et magnum ederet clamorem levissimo corporis tactu, immo quum pulsus scrutare vellent medici. Pulsus interea vix percipiendi intermittebant, artus frigescebant, et vigesimo secundo Octobris die placide obiit.

In corpore valde emaciato, quum thorax resecaretur, glandulae quaedam sternales visae sunt, in tumores albidos duros conversae nucum iuglandum magnitudinis. Pulmo dexter solito minor atque durus pleurae adhaerebat: sinister sanus videbatur. In medio pectore tracheam, bronchos atque vasa circumdans egregius conspectus est morbus: partes correptas vero, exemtas et museo anatomico transmissas, fusius describam, subiuncto in calce dissertationis icone illas illustrante.

Glandulae tracheales (p. 7.) utrinque in magnos tumores conversae sunt albidos atque duros, qui incisione facta materiem monstrant homogeneam albam, resinae elasticae fere duritiem habentem (sit venia comparationi), quam tenuissimae transeunt telae cellulosae laminae, albidiore colore parum distinctae. Hic illic in plerisque tumoribus materia cretacea albissima atque mollis in cavis occurrit, lentulum vel pisum aequantibus et membrana tenui interne obductis; nec in inferioribus qui tracheae divisionem attingunt, tumoribus materiae nigrae (§. III.) striae defuerunt. Inter ipsam bifurcationem, lateque bronchos seiun-

gens maior conspicitur tumor, cuius dimensiones in icone discernes; superficies eius externa inaequalis est, et pro parte albida, pro parte nigrescens. Incisus eandem monstrat, quam priores tumores, indolem: materiae cretaceae cumuli plures atque grandiores sunt, et in tumoris medio pulchre conspiciuntur materiae nigrae striae. Minores quaedam huic appendunt glandulae tumidae.

Glandulae ad sinistri pulmonis radicem nihil offerrunt praeter colorem nigrum: illae contra quae ad pulmonis dextri originem collocatae sunt in magnum quoque abierunt tumorem, ovum fere anserinum aequantem. Qui ex pluribus constat glandulis tumidis, bronchorum divisiones undique circumdantibus et coarctantibus, eiusdem ac superiores indolis: nec materia cretacea destitutis, colore tamen in quibusdam plane nigro, vel marmoraceo. — Glandulae quoque cardiacae (p. 8.) quaedam in tumores conversae sunt, qui tamen vasorum sanguiferorum origines satis liberas relinquunt: alius vero tumor, a prioribus plane separatus, ovatus atque planius depressus, venae cavae ascendenti ab anteriore parte incumbit, sic utrinque coarctatae.

Prope orificium denique ventriculi externum tumor etiam glandularis membranae illius externae insidebat, et glandulae mesentericae tumebant.

Ex hac autem tam morbi quam sectionis enarratione apparet, obscuriora fuisse symptomata, quin ante mortem morbi natura dignosceretur: morbique signa cum iis quae conspiciebantur vel post cadaveris inspectionem conciliari vix potuisse. Animi imprimis pathemata haud paucum contulisse patet ad signa, quae morbum quendam totius organismi indicarent.

Porro illa, quae morbum in thorace latentem monstrarunt signa, multo leviora fuerunt, quam expectavisses, si insignes illos tumores medium thoracem occupantes conspiceres. Respirationis enim malum tunc solummodo gravius fuit quum exercitationem subiisset aeger; pulsuum varietates forsan magis ad totius organismi debilitatem referendae sunt, quam ad tumorum pressionem in cor et vasa magna: miro autem modo deglutitio plane libera mansit: quod poterit inde forsan explicari, quod tumores utrinque tracheam comitantes canalem quasi oesophago inter illos descendenti reliquerint, et insuper propter mollem suam structuram minus illum compresserint.

Quum de morbi origine et diuturnitate, et de primis quae tumores illos glandularum efficere potuerunt causis nihil certius dicere habeam, deficiente accuratiori de aegri vita priore notitia, de tumorum potius natura et structura quaedam subiungam.

Si tumorum glandularum descriptionem, quam ex aegro nostro feci, comparas cum iis, quas ex aliis autoribus supra exscripsi, videbis utrasque in plerisque convenire, quamvis nomina illis ab aliis alia sint imposita, ita ut mox steatomata, mox tumores scrofulosi, etc. appellentur.

Glandularum structura sana plane evanuit, solida substantia quam a fibrina sanguinis non multum differre puto, inter telam cellulosam effusa: quae tela in quibusdam locis densior apparet, unde striarum species in tumoribus formatur. Ni fallor id genus tumorum ad Abernethii *sarcoma simplex* (¹) revocari debet: non vero aliud ab eodem propositum nomen *vasculosi*, hic applicaverim, quum vix ulla conspiciantur vasa in tumorum substantia, et omnino dubitem, an fibrina, ex qua constant, tanto praedita sit *organisationis* vel vitae propriae gradu, quantum Abernethius illi tribuit.

Id etiam monuisse iuvat, quum ad id genus nostros tumores revocem, quod minus apte suppurationis nomen illi emollitionis processui Abernethio impositum esse mihi videatur, quem potius modo supra a me exposito (p. 16.) ortum credo. In nostris quidem tumoribus nulla talis observata est emollitio: in Cajolii aegro contra in superiore partis tumoris ad divisionem trachea siti obortas, et fluidum inde generatum foramine in trachea ipsa formato eiectum est.

Materia etiam cretacea in variis tam nostrorum tumorum locis quam aliorum observata est: et mihi videntur quaedam *caseosae* sic dictae materiae exempla huius fuisse naturae. Quae sit illius secretionis origo, quae sint causae, nescio: infra vero fusiorem illius historiam subiungam quando eos describam tumores, qui toti ex cretacea vel ossea constant substantia. Notatu tamen dignum est quod haec cretacea materia et in illis, quorum parvam solummodo partem constituit, tumoribus membranis inducatur propriis vel cystis, qui partes vicinas ab illarum defendant duritie.

Materiem nigram quam in plerisque notatam invenimus, in nostris quoque videmus tumoribus: et parum quidem in superioribus, plus in

(¹) Observations on tumours. p. 20. *Übersetzt von Meckel. Bd.* III.

inferioribus glandulis. In illis ubi minor illius est quantitas, sub laminarum vel striarum apparet forma: illas vero sanae structurae puto rudimentum, vel potius eas, in quibus materia nigra adest, partes pro tela cellulosa habeo sanae glandulae, quem tumoris nova substantia compresserit. In glandulis pulmonalibus maior est materies nigrae copia, quare nonnullae ex illis marmoracei sunt coloris.

VII.

De specificis quibusdam glandularum degenerationibus mihi scribendum est: et a frequentioribus initium faciens, primum loquar de *concretionibus osseis, calculosis, lapideis* et *cretaceis*: quae quidem omnes, quamvis forma nonnihil differant, ad eundem tamen revocandi sunt morbum. Ex eadem enim omnes constant materia, illa, qua ossa c. h. constituuntur.

Exempla illarum concretionum innumera apud autores citantur (1), quibus vix opus est nova subiungere. Id tamen monuisse iuvat me

(1) Bonetus in sepulch. L. II. p. 1. Obs. 42. 46. etc. Baader, Hildanus, Drelincurtius apud Lieutaud (Hist. anat. med. T. II. p. 273.): apud Hildanum quidem ,,tumor cysticus concretionibus gypseis foetus in puero, quo id notatu dignum est, quod lapis eiusdem indolis inter cerebelli sepimentum et piam meningem conspiceretur.'' — Morgagnius de Sed. et Caus. XLVIII. 38. — Senacius in glandulis bronchialibus atque cardiacis. Traité du coeur T. I. p. 687. — De Haen: in puella tussi frequenti laborante, tandem pneumonia necata, lapilli in glandulis bronchialibus et in pulmone. *Heilungsmethode Leipz.* 1782. *Bd.* IV. *S.* 179. — Chambon de Montaux *merkw. Krankheitsgesch. Bd.* I. *S.* 49. —

Kerkringius (Spicileg. anat. Amst. 1670. p. 64.) historiam tradit huc pertinentem, quam propter egregiam dictionis veritatem exscribo. ,,Vir quidam laborabat maxima anhelitus difficultate, non tamen tussiebat, non excreabat, nec ulla vel asthmatis vel orthopnoeae vel phthyseos aut vulgati alicuius pectoris vitii aderant symptomata. Medici curabant eclegmatis, syrupis et similibus morbum, non obsequentem: aeger tandem febre superveniente abiit ad plures. Causa autem morbi et mortis postea sese aperto corpore aperuit: lapides varii variaeque figurae asperae arteriae incumbentes ita eam compresserant, ut tandem hominem praefocaverint: caetera enim interiora nihil contraxerant vitii. *Ita saepe quae latent in corpore medicantes latent. Quo magis risu digna eorum videtur arrogantia, qui medendi rationes ad Mathematicorum calculos volunt exigere.*''

Cruikshankius etiam illas vidit: in quibusdam, trachea ulcerata, ex ore eiecta fuerunt. Anatomy abs. syst. p. 129.

Non infrequens est, inquit Haller (de corp. hum. fabrica. VI. p. 240.) glandulas bronchiales lymphaticas decrescere atque sabulo intus aspero repleri, aut variis cartilagineis, osseis, lapideisque demum concrementis farciri, quae non infrequens lentissimae phthiseos causa est.

Glandulae vero talibus concretionibus refertae servantur in Museo anatomico Lipsiensi 622. 623. 624. (Cerutti *Beschreibung der patholog. Praeparate. Leipz.* 1819. p. 125.); in Argentoratensi 581. (Lobstein Comte rendu. 1820. p. 120.); in Vindobonensi 63. 549. 552. (Biermayer Museum anat. pathol. Vindob. 1816. p. 106.) in

glandulam ossiculis refertam in puero invenisse octo circiter annorum, pulmonibus integris; in sene quodam glandulae in os conversio simul aderat cum ossificatione arteriae aortae.

Quaecunque vero sit illarum concretionum forma, id habent sibi commune quod glandulae penitus destruant fabricam, membrana tantummodo externa relicta, quae crassior atque densior fit, concretiones, si solidiores sunt arcte includens et partes vicinas ab illarum duritie defendens, si vero cretacea est materia atque mollis, sacci instar illam continens (¹).

De huiusmodi concretionum origine variae sunt autorum sententiae: alii enim ex externa illas nasci causa putaverunt, alii ex interna. Ipse Soemmeringius (²), in lapidariis solummodo illas a se inventas testatur, e tracheae superficie interna materiem lapideam resorberi atque glandulis advehi credens. Basilewitsch (³) ex intestinis terreas substantias resorberi vasorum lymphaticorum ,,intempestivo officio'' atque inter alias partes ad pulmones etiam vehi finxit. Meckelius (⁴) qui in phthisicis solis glandularum vidit in os conversionem, atque semel quidem ad nucis iuglandis magnitudinem, morbosum quendam organi illius statum ex quo vasa lymphatica glandulam petentia oriantur, pro morbi causa habet. Baillie (⁵) verius ex peculiari quadam vasorum sanguiferorum actione illam formari docet materiem.

Mihi vero eodem omnino modo oriri videntur concretiones de quibus nunc locutus sum, ac illae quae in pulmonibus saepissime inventae sunt, ab antiquissimis iam autoribus descriptae (⁶) atque lapilli, calculi, ossicula appellatae. Quae a nonnullis peculiaria sunt iis hominibus credita, qui saepius lapidum atque terrae pulverem inspirare coguntur, la-

Lugduno Batavensi (Sandifort. Museum anatom. T. I. p. 280.).

In vaccarum glandulis tam bronchialibus quam aliis lymphaticis saepe inveniuntur huiusmodi concretiones, e spiculis constantes parvis, conglomeratis, membrana densa opertis. Sex vel octo pollices longam talem glandulam in Schola veterinaria Berolinensi mihi ostendit D. Gurlt.

(¹) Vide historiam aegri §. XVI. enarratam, ubi talis aderat succus. Et Tab. II.

(²) De morb. vas. absorbent. p. 45. et apud Baillie. *Anat. S.* 60.

(³) De systemate resorbente diss. p. 56.

(⁴) *Pathol. Anatomie Bd.* III. *S.* 194.

(⁵) *Anatomie des krankhaften Baues S.* 60.

(⁶) Plura apud Bonetum l. c. invenies exempla; apud Lieutaud l. c. T. II. p. 84. et apud Morgagnium: de Sedibus et Causis. Epist. XV. Vide *Trnka von Krzowitz von den Lungensteinen: in Mohrenheim's Wienerischen Beiträgen. Bd.* II. *S.* 173.

pidariis ergo, caementariis etc. ([1]); cui tamen opinioni quotidiana repugnat observatio; et nescio an in ipsis lapidariis, in quorum corporibus tales inveniuntur concretiones, illas explicare debeam e vitae ipsorum genere: in qua me dubitatione confirmat ipsa Desgenettii observatio quaedam, quanquam ab illo ad contrariam adducta sit opinionem stabiliendam ([2]): accuratius enim lapillorum in lapidarii cuiusdam pulmonibus inquirens structuram atque locum, nullos in bronchis invenit, ubi a multis adesse creduntur: hic illic contra in ipsa pulmonum tela cellulosa, membranis inclusos illos reperit: quum vero nonnulli cylindricam quasi haberent formam, in vasis lymphaticis illos formari sibi persuasit. Si autem externa qualiscunque causa illas generasset concretiones, tunc consentaneum foret, in bronchis potius quam in ulla alia pulmonum parte eos inveniri.

Bayle de lapillis loquens tam in pulmonibus sitis quam in glandulis bronchialibus, quae quidem omnia ad *phthisin* suam revocat *calculosam*, haec habet verba: ces concrétions sont presque toujours placées dans les glandes bronchiques ou dans de petits kystes, et quelquefois entre les bronches ou entre les premières divisions des ramifications ([3]).

Laenneccius ([4]) a phthisi sanata plerumque illos oriri calculos sic explicavit: je suis porté a croire que dans le plus grand nombre des cas, les concrétions osseuses et crétacées du poumon se sont developpées à la suite d'une affection tuberculeuse guérie, et sont le produit des efforts de la nature, qui, cherchant à cicatriser les excavations pulmonaires, a développé avec trop d'exuberance le phosphate calcaire nécessaire à la formation des cartilages accidentels, qui constituent le plus souvent les fistules et les cicatrices pulmonaires.

Nihil autem dicam de glandularum bronchialium concretionibus, nullo modo hac theoria explicandis: quam minus rectam esse monstrant, praeter antiquorum (Boneti, Lieutaud), Baylii etiam quaedam observationes, quibus nullus praeterea in pulmonibus reperiebatur morbus. Huc conspirant quae ipse Edinburgi in puero trium annorum, variolis malignis quinto morbi die enecato vidi: nam cadaver

([1]) Vide: Patissier traité des Maladies des Artisans, d'après Rammazini. Paris. 1822. p. 96. Soemmeringius etiam illi favet sententiae (l. c. p. 45. 145.).

([2]) *Schregers Beiträge. S.* 238.

([3]) Sur la phthisie. p. 34. ubi plura enarrantur illius affectionis exempla.

([4]) De l'auscultation médiate. T. I. p. 287.

resecans, in superiore pulmonum lobo calculos crassa membrana inclusos inveni, qui contractione sua in externa pulmonis superficie cicatricis speciem praebebant: pulmones caeterum praeter congestionem ex recente morbo ortam sanissimi. Nuper etiam minimum calculum inveni in superiore pulmonum lobo infantis fere octennis, glandula bronchiali simul in os conversa, pulmonibus vero sanis.

Sententiae ergo quam Baillie proposuit adnuens, omnes huiusmodi concretiones tam in ipsis pulmonibus quam in glandulis, ex actione vasorum sanguiferorum peculiari oriri dixerim, qua materia ossium plus minus solida in illorum organorum secernatur telam cellulosam: cuius vero causa plerumque latet; qui quidem singularis est morbus quum pleraeque eiusmodi ossium in organis formationes provectiori tantummodo aetati propriae sint (ut cartilaginum atque tendinum in os mutatio, membranarum serosarum, praecipue pleurae, membranae arteriarum internae, cerebri, lentis oculi): nostra vero tam in infantibus quam in adultis occurrat. Fieri id posse, quod e causa nascatur arthritica, docent observationes quaedam apud Hildanum atque Lieutaud notatae, quorum aegri simul nephritide laborabant calculosa. Eam vero rariorem esse morbi causam, satis constat, et quum plerasque alias rationes monstraverimus non sufficere ad illum explicandum, vix aliud mihi quod adiungam superest.

Inter utriusque morbi signa (1) notantur spirandi difficultas atque asthma, ponderis sensus atque dolor in medio pectore: denique tussis, salutaris naturae nisus ad expellenda corpora extranea: quae etiam saepius eiiciuntur, quo vel sanitas fit redux, vel morbus in peius vertitur (2). Nonnunquam vero accidit, quod signa illa, utrum ex ipsis concretionibus orta sint, an ex alio quodam pulmonum vitio simul praesente, vix affirmare possimus. Quin plures apud Bonetum aliosque observationes docent, concretiones ubi nec magnae sunt nec multae, nec alii illas comitantur morbi, plane nullis morbosis indicari signis: id quod ex rei natura expectandum esset, quum plerumque sanus pulmo aliaeque partes vicinae cysto quodam defendantur a lapillorum vel ossium duritie, quae inde tanquam corpora extranea nullam postea subeant mutationem.

(1) Vide Trnka l. c.

(2) Tussis calculosae plurima citata exempla invenies a Müllero collecta. Ephem. Nat. Curios. Cent. IX. Obs. 63.

VIII.

Sunt qui *tubercula* pulmonum vulgaria, terribilem illam phthiseos causam, morbosa glandularum lymphaticarum conditione constare credant: Malpighii (1) ut videtur sententia nitentes, iuxta quam omnia vasa lymphatica e glandulis minimis inconspicuis originem ducunt; sic Mortonus: quae tubercula sive crudos et *glandulosos* tumores saepe in phthisicorum cadaveribus deprehendi etc. Portalius (2) vero tubercula phthisica plerumque ex obstructione glandularum lymphaticarum oriri docet, post longius breviusve tempus in suppurationem abeunte: fretus praecipue nexu illo frequenter observato inter phthisin atque varias mali scrofulosi formas, quae glandulas imprimis lymphaticas sibi occupaverint. Similem nuper repetivit sententiam Lenhossek (3). Quam tamen falsam ipse iam monuit Hewsonus (4), qui nullas in pulmonis substantia observatas fuisse glandulas lymphaticas credit, quapropter diversam habere originem tubercula contendit: quod etiam Baillie bene exposuit (5).

Nonnulli contra tuberculosam degenerationem atque scrofulosam vel oriri ex eadem causa, vel plane eundem esse morbum docuerunt: quam inter alios sententiam Meckelius (6) evidentiorem credit, quam quae argumentis stabiliri debeat: in eodem capite ergo de utraque agit affectione. Phthisis quidem pulmonalis tuberculosa, et reliqui, in quibus tubercula varias corporis obsident partes, morbi tam frequenter oriuntur in habitu sic dicto scrofuloso, et affectiones illas comitantur quarum tam manifesta est scrofulosa natura: ipsi denique scrofulosi externarum glandularum tumores nonnunquam materiem secernunt veris tuberculis tantopere similem, ut mirari non possimus, huiusmodi phaenomenis ad illam opinionem adductos esse pathologicos. Discrimen tamen quoddam videtur mihi inter illos esse morbos. Quod primum similitudinem attinet tumores scrofulosos inter atque tubercula illa, magis apparens, quam vera est; quum tumores stadio inflammationis sensim peracto in suppurationem abeant genuinam, et pus secernant variae indolis, plerumque malae: tubercula contra, quum ad maturitatem pervenerint, (sine

(1) De gland. conglob. p. 4.
(2) L. c. *S.* 132.
(3) Physiolog. medic. T. III. p. 234.
(4) L. c. p. 40.
(5) *Anatomie d. k. B. S.* 39.
(6) *Pathol. Anatomie. Bd.* III. *S.* 399.

ulla inflammatione) sensim sensimque emolliantur, atque, si in pulmonibus fuerint, tussi eiiciantur, nulla illis superveniente inflammatione. Nec dubito, quin illi qui diligenter observarint utriusque degenerationis speciem, discrimen facile sint perspecturi. — Habitum autem corporis scrofulosum saepe tubercula pulmonum secum afferre, non est quod miremur, quum variae quae degenerationem tuberculosam efficere valent causae remotae obscurissima hucusque maneant ([1]). Ceterum tantum abest, ut nexum quendam inter duos de quibus loquor morbos existere negem, ut potius inde dixerim saepissime illos ab eadem fere effici causa, iunctosque in eodem corpore inveniri: id solum cavere volui, ne ipsae degenerationes pro iisdem haberentur.

Tumores glandularum bronchialium, pulmonalium, vel etiam sternalium, phthisin tuberculosam comitantes a pluribus citantur autoribus, quorum nonnulli ad tubercula illos revocant ([2]). In paucis tantummodo illorum exemplis vera formari tubercula animadverti, quum pleraque vel ad tumores quos antea descripsi pertineant, vel ad osseam degenerationem.

Tuberculosa autem substantia in glandularum telam cellulosam infiltratur ita, ut primum hic illic solummodo in glandulae structura caeterum sana conspiciatur: denique vero omnino illam impleat. Colore plerumque albido, cinereo vel flavescente distinguuntur tubercula, quum sanae glandulae color sit in infantibus rubicundus, in adultis, nigrescens: quo fit ut in illis marmoraceam quasi speciem gerant glandulae tali modo affectae. Ab initio duriora sunt tubercula, postea molliora fiunt, et tandem fluida. Sunt qui ulceratione in bronchos tracheamque effusa illa constituant.

Ipse saepe pulmones resecui tuberculis obsessos, tam crudis quam emollitis, ita tamen ut in glandulis bronchialibus similem effectum mox viderem, mox desiderarem: in nonnullis senioribus phthisi correptis tuberculosa glandulas bronchiales vidi tumidas atque duriores sed aterrimas; in quibus autem non tuberculis sed alia quadam degeneratione illas affectas credidi.

([1]) Vide Alisonii dissertatiouem in Edinburgh Medico-chirurgical transactions Vol. I.

([2]) Meckelius (*Pathol. Anat. Bd.* III. *S.* 379.) generatim statuit in fere omnibus, quorum pulmones tuberculis obsessi essent glandulas bronchiales etiam *simili modo* affectas fuisse: quod Portalii repugnat assertioni, qui in phthisicis plerumque sanas illas se vidisse docet (*Über die Lungenschwindsucht. Bd.* II. *S.* 133.).

Van den Bosch (l. c. p. 129.) simul loquitur de phthisicorum tuberculis atque scrofulosis glandularum tumoribus.

Egregium vero nuper sese mihi obtulit exemplum in infante vix unum annum nato, in quo omnia tuberculorum stadia simul comparebant in glandulis bronchialibus, pulmonalibus atque cardiacis, quarum aliae, tuberculis liquefactis externa solummodo constabant membrana, in aliis vero inceperat tantum tuberculorum secretio. In pulmonibus hic illic dispersa erant tubercula pauca: totus vero pulmo dexter, in quo latere glandulae quoque affectae erant, inflammatione ad hepatis duritiem induruerat.

IX.

Tumoris, quem pro *medullari* sic dicto *fungo* habeo, e glandulis sternalibus orti specimen servatur egregium in museo anatomico Berolinensi e femina quinquagenaria. In medio pectore tumor conspicitur hemisphaericus, capitis infantilis diametrum aequans, qui resectus, cutem monstrat sanam, sed immediate infra, nulla interiecta tela cellulosa, flavi coloris materiem [1], mollem homogeneam, laminarum quasi concentricarum speciem habentem. In medio tumore cavum adest, fabae magnitudine membrana quadam tenui obtectum. In posteriori sterni facie similis adest tumor, qui forma minus regulari a secundae utrinque costae cartilagine ad processus usque xiphoidei descendit marginem: utrinque e glandulis sternalibus inter tertiae et quartae costae cartilagines sitis ortus videtur: arteriae mammariae interne eum transcurrunt. Tumor ille vero sternum, ubi manubrium cum corpore iungitur, penetraverat, osse omnino absorpto, ultroque progrediens, ad conspectum venerat externum. — Ceterae glandulae sternales sanae sunt. Viscerum thoracis status non innotescit quum distinctior desideretur morbi historia.

Fungum medullarem se vidisse testatur Laennecius [2] in tela cellulosa mediastini (cuiusnam?) [3].

(1) Color utrum iste fuerit, an longa in alcohole maceratione talis evaserit, nescio: ubi nova facta est sectio, flavior comparuit.

(2) L. c. p. I. p. 321.

(3) Morbi cuiusdam singularis notitiam, quum de fungo medullari sermo sit, non praetermittendam puto, tumorum nempe magnorum passim in pulmonum superficie atque parenchymate sparsorum, colore albido vel fusco. Rarissimae huius degenerationis specimen servatur in museo Guilielmi Hunteri, nunc Glasguensi: cuius iconem in lucem edidit Baillie (Engravings Fasc. 2. plate 5.), *tuberculorum pulmonum magnorum et fuscorum* nomen imponens, de morbi tamen natura atque causa vix quidquam subiungens. Eiusdem generis exemplum exstat in museo Collegii Chi-

Glandulas sternales cancro mammae infici, tumefieri et exulcerari docet Soemmeringius [1]; quam profundi doloris causam putavit Camper [2] illas saepe excruciantis, quae scirrho vel cancro mammae laborant. Nihil habeo quod de hac re offeram. Nec ulla credo existere notata, de ipsis, qualescunque sint thoracis glandulis, durissimo illo morbo, vero scirrho et cancro correptis. Illa enim quae a variis narnantur autoribus, ipsoque Baillie, ad aliorum plane generum tumores revocanda sunt.

Entozoon denique, *Hamulariam lymphaticam*, in glandula prope tracheam arteriam semel a Treutlero inventum indicasse sufficiat, quum tot iam autoribus repetitum sit, atque in omnibus Helminthologorum libris possit inveniri.

X.

Thymi historiam nunc tradam, a reliquarum thoracis glandularum separatam, propterea quod nullo modo similia illa organa mihi videantur, assentientibus insuper praestantissimis autoribus. Ad obscura potius illa organa thymum retulerim, splen, glandulas suprarenales, thyreoideam, de quarum natura certi quidquam vix constat, quamvis a longo inde tempore multi et quidem magni viri animum ad eorum accuratiorem inquisitionem intenderint. Quorum quidem omnium investigatio magnae est difficultatis, quum nulli hactenus visi sint meatus qui fluida forsan in illis secreta educant: experimenta autem in vivo corpore cum illis vel fieri omnino nequeant vel facta nihil fere doceant; morborum denique, quibus illa corripiuntur, nexus causalis obscurissi-

rurgorum Londinensis (ex collectione Ioannis Hunteri): pulmones tumoribus obsessi albidis, a pisi usque ad ovi gallinacei magnitudinem, e femina, quae cancro mammae laboraverat. Quin etiam tumores pleuram obsedentes, superantes fere pisi magnitudinem, in museo academico Lugduno-Batavensi conservatos (Brugm. 2957.) huc referendos puto. Estne similis morbus, de quo Morgagnius loquitur in egregii sui operis Epistola XXII. 15.?

Nescio autem an ad glandulas hasce referam degenerationes necne. Similitudinem enim mihi habere videntur cum morbo, quem descripsere Bayle atque Laenneccius: ille *cancrum pulmonis* eum appellans (sur la phthisie pulmonaire p. 34.) hic vero *encephaloïdeum tumorum* (sur l'auscultation médicale T. I. p. 312.). Quum nunquam accuratius in illos inqnirere tumores mihi liceret, nihil habeo quod certum de illis proferam; illos tamen, qui secunda fruuntur occasione, ad eorum investigationem excitatos velim.

[1] De morb. vas. abs. p. 112. apud Baillie *Anatomie. S.* 62.

[2] L. c.

mus sit. Inquisitionibus tamen de thymi natura et usu maiora etiam obstant impedimenta, quippe qui in homine et plerisque animalibus ex eo inde vitae tempore, ex quo organismus per se vivit et observationi accuratiori sese offert, mole imminuatur, vel certe officio suo fungi cesset.

Attamen non hic locus est latiorem *thymi* (1) historiam exponere; sed antequam de eius degenerationibus loquar, de ipsius natura ea breviter referam, quae maioris momenti mihi esse videntur.

Iam satis notum est, thymum tertio mense in foetu apparentem, una cum illo deinceps crescere usque ad eius maturitatem. Meckelius (2) vero et Lucae (3) [ante illos idem docuerat Verheynius (4)] demonstraverunt, glandulae huiusce molem nec imminui, nec eandem manere per primum infantis annum, quo cum reliquo corpore nutritur et crescere pergit: versus anni primi finem solummodo vita thymi propria cessare videtur et sensim sensimque imminutus versus duodecimum plerumque annum evanescit.

Appellatio *glandulae thymi* minus accurata est: per totam enim vitam foetalem duabus constat partibus lateralibus, tela tantum cellulosa iunctis, in iuniore foetu ne quidem contiguis, unde recte *duos thymos* appellare illas licet. Uterque vero e lobis duobus vel tribus componitur, iique iterum e lobulis minoribus: qui omnes tela cellulosa plus minusve arcte iuncti involucro communi membranaceo continentur. Quisque lobulus vero cavum continere videtur (5). In foetu quem exploravi quinquemestri lobi thymi inferiores cornua referebant brevia: ex superioribus vero processus longi et angusti sursum ascendebant, ad ipsam usque glandulam thyreoideam utrinque porrecti (6), cum qua tam

(1) Ἐκ τούτων τῶν ἀδένων καὶ ὁ καλούμενος ΘΥΜΟΣ ἐστι, πεφυκὼς μὲν κατὰ τὴν κεφαλὴν τῆς καρδίας, ἐπιβάλλων δὲ τῷ τε ἑβδόμῳ τοῦ τραχήλου σφονδύλῳ καὶ τοῦ βρόγχου τῷ πρὸς πνεύμονι πέρατι, οὐκ ἐν πᾶσιν ἑωραμένος. Rufus Ephesius de part. hom. Ex ed. Guilielmi Clinch. p. 37.

(2) *Meckels menschl. Anat. Bd.* IV. *S.* 456.

(3) *Anatomische Untersuchung der Thymus in Menschen und Thieren. Frankf.* 1811. *S.* 15.

(4) *Anatomie* ed. cit. p. 349.

(5) Quae accurate descripsit Lucae l. c. p. 36. Tiedemannus marmotae sopitae thymum inquirens vesiculas conspexit plures in quoque lobulo: hydrargyrus vero uni immissus vesiculae, in reliquas statim emanavit. *Meckels Archiv. Bd.* I. *S.* 486.

(6) Hoc, in recentiorum libris vix observatum, Haller bene notavit: ,,longa appendice glandulam thyreoideam attingit." Elem. Physiol. T. III. p. 115. — ,,In vitulis aliisque nonnullis animalibus bifariam dirimi thymum et utrinque latera tracheae arteriae perreptantem ad maxillarem et nonnunquam ad parotides usque protendi" iam Whartonus docuit. Adenographia. Amst. 1659. p. 93. — Recentius Werner et Feller (Vasorum lacteorum atque lymphaticorum descriptio. Lips. 1784.) in foetu, quem resecuerunt, appendicem thymi dextri observarunt glandulosam, tenuem,

per vasa sanguinea, quam per telam cellulosam colligari mihi videbantur. In infante autem recens nato vix e thorace ascendit, nexus tamen ille cum glandula thyreoidea distincte adhuc discerni potest.

De vera *cavitate* in medio thymi dissentiunt anatomici. Thomas Bartholinus ([1]) a sese primum observatam eam describit. Petrus etiam Dionysius ([2]) eam vidit lymphae plenam in medio thymo. Hallerum cavitatem in utroque thymo Goettingae docuisse tradit Hugo ([3]). Postea tamen veram caveam formari negavit, ,,experimentis suis ab anno fere 1751 revocatus'' ([4]). Meckelius ([5]) tandem saepe thymos recentes explorans in utroque lobo laterali magnam cavitatem invenit, fluidi plenam, membrana tenui, glabra, obtectam, et lobulorum cavitates recipientem. Egometipse foetum quinquemestrem aeque ac novem mensium resecans, in utroque thymo caute inciso cavitatem, fluido albido repletam, aëre inflavi. In foetu novem mensium diu in spiritu vini servato, cuius thymus inde cum aliis corporis partibus maiorem acquisiverat duritiem, inflatione illa non opus erat: cavitas enim sectione facta late patebat. Inter recentiores etiam solus Lucae ([6]) cavitates omnino negavit, vel e tela cellulosa inter lobos inflata eas oriri asseruit.

Observationem circa systema thymi *sanguiferum* ab eodem Lucae ([7]) factam non praetermittam: iuxta quam vasa eius non, ut in aliis maioris momenti organis, ex una et eadem origine nascuntur: sed plures arteriae vicinis thymi lobis sanguinem praebent, qui eodem modo venis pluribus inde reducitur. Sanguis enim arteriosus, arteriis mammariis internis, quae supra glandulam decurrunt, thyreoideis superiori-

crassiorem ut ascendat, usque ad thyreoideae glandulae summitatem porrectam, cellulosae et vasorum ope illi adhaerentem. Insuper notaverunt mercurium glandulae thyreoideae iniectum, in vasa huius appendicis usque ad thymum penetrasse.

([1]) Anatome. Lib. II. cap. VI.

([2]) Anatomie de l'homme. Paris, 1716. p. 497.

([3]) A. L. de Hugo Comment. de glandulis et speciatim de thymo. Gottingae. (1746.) p. 29.: ,,Flatus, qui in dextram glandulam adactus erat, in sinistram non penetrabat, indicio nullum commercium inter hanc et sinistram fuisse.'' — ,,In foetuum abortivorum aut recens editorum infantium cadaveribus constante natura lege similis fabrica deprehensa fuit.'' Ipsum iconem cavitatis dat in calce dissertationis suae.

([4]) Elem. Physiol. T. III. p. 116.: ,,Non ita vera nascitur cavea qualis cerebri est ventriculorum; *vulnere etiam ut flatus subeat opus est.*'' — Et in Auctario ad Physiol. T. III. p. 10.: ,,Antequam enim thymum vulneraris, nihil veri cavi adest praeter intervalla lobulorum: ubi laesisti, aër in cellulosam telam subiens caveam facit, quam natura non praeparavit. Quae vero cavea videtur, lobulorum id intervallum est''.

([5]) *Menschl. Anat. Bd.* IV. *S.* 455.

([6]) L. c. *S.* 39.

([7]) L. c. *Zweites Heft.* 1812. *S.* 34.

bus, vel inferioribus, vel carotidibus, arteria anonyma vel ipsa aorta thymo advehitur: venosus a venis cavis, subclaviis, thyreoideis, mammariis internis excipitur (1).

Vasa lymphatica etiam thymi a nonnullis describuntur autoribus. Cowper (2) enim cera eas e ductu thoracico sese implevisse asserit: Whartonus (3) lymphaeductus per thymum decurrentes et in venam subclaviam sese exonerantes a se observatos testatur, incertus tamen, utrum in ipsam glandulam terminentur, an potius ab aliis partibus oriundae, per eam tantum labantur. Thymi lymphatica vasa in venas subclavias inserta ex bestiis descripsit Carolus Drelincourt (4). In marmota, quam sopitam necaverat, Tiedemannus (5) glandulas lymphaticas conspexit thymo appendentes. (6)

Thymus ergo humanus post primum vitae annum crescere cessat et paullatim absorbetur omnino. Sunt vero animalia quaedam mammalia, quae per totum vitae decursum organo hoc fruantur. Meckelius (7) quidem in Vespertilione noctua, in Erinaceo setoso, in Mustela vulgari et soina, et in plurimis gliribus adultis eam invenit. Tiedemannus (8) autem thymum marmotae accuratius observans, quum mense Novembris sopitum resecaret animal, thymum invenit grandissimum, totum implens mediastinum, atque ad maxillam inferiorem usque et axillas sese extendentem. E lobis atque lobulis constabat, lobuli vero e vesiculis rotundis, fluido quodam, chylo non absimili, repletis; color ipsius visceris rubicundus. Thymus ille vigesimam quartam fere totius corporis partem pondere aequabat. Aestate vero aliam resecuit marmotam, cuius thymum flaccidum vidit, collapsum, atque centesimae sexagesimae solummodo corporis partis pondus habentem. Similia animadvertit in eri-

(1) Haller Elem. Physiol. T. III. p. 116.

(2) Anatome. Tab. XXI.

(3) Adenographia. p. 97.

(4) (Canicid. 6.) apud Hallerum.

(5) *Bemerkungen über die Thymus des Murmelthiers. Meckels Archiv. Bd.* I. *S.* 481.

(6) *Osiander* (*Entbindungskunst. Bd.* I. *S.* 510.) hydrargyro in recens nati infantis mamillam iniecto vas quoddam *thymum versus* (*gegen die Thymus hin*) porrectum se vidisse testatur: quod non valde mirandum (vide, quod supra diximus de glandulis sternalibus). Mueller vero (de Respiratione foetus. Lips. 1823. p. 118.) „*ad thymum usque progressum*" hasce voces vertens, illarum sensum omnino mutat, hypothesinque iis superstruit liquoris amnii per mammam ad thymum ducti, et inde in omnes corporis partes resorpti.

(7) *Abhandlungen. S.* 206.

(8) L. c.

naceo, vespertilione, lutra, et castore (¹). Quas **Jacobsonius** (²) infirmare conatus est observationes; animalium illorum thymum per hiemem nequaquam ab eo differre asserens, quo aestate fruuntur: apparatum vero glandulosum, pinguedinis cuiusdam sedem illo tempore in pectore enasci docens. Illam rem diiudicandi nulla mihi occasio fuit data. Attamen **Tiedemanni**, summi anatomici, tam accurata est thymi descriptio, ut vix et ne vix quidem crediderim, illum in errorem labi potuisse.

In avibus nonnullis, omnibus scilicet mergentibus, **Meckelius** fabricam glandulosam descripsit, quam cum thymo mammalium comparat. Valde dubium tamen videtur esse, utrum sit thymus, an thyreoidea glandula, an organon quoddam utriusque vices sustinens.

In reptilibus omnino evanescit discrimen inter thymum et glandulam thyreoideam, organaque quae **Carus** (³) ad thymum retulit in Testudine lutraria, nulla certa lege vel huic vel illi glandulae adscribere licet.

Horkelius demum analogiam quandam inter thymum finxit et vesicam natatoriam piscium: quae quidem comparatio **Aemilio Huschke** (⁴) minus placet, quippe qui vesicae natatoriae potius pulmonis functionem tribuens, *corpora rubra* illius vesicae et thymum aequalia esse organa contendat, nec non argumentis defendat. De qua re nihil iudicaverim, huiusmodi comparationes iis potius relinquens, qui maioribus, quam mihi sunt concessae, pollent imaginationis viribus.

XI.

Hisce de thymi structura expositis, sequitur ut quaedam de eius usu dicam. Sed heu! quantam opinionum farraginem et hic commovere possem, si partem solummodo vellem colligere eorum quae a physiologis de hacce re conscripta sunt.

(¹) Lutrae denegat thymum Everardus Home (Philos. Trans. for 1796. p. 388.): Steller distincte describit eum (Novi Comment. Petropol. T. III. p. 380.). Plures, inter quos Meckelius, in phocis non eum invenerunt, contradicente iterum Stellero (ibid. p. 345.: „in ursu marino bienni thymus maior quam in recens nato."). Talis observationum diversitas forsan e vario, quo sectiones factae sunt, anni tempore explicanda est.

(²) Ibid. *Bd.* III. *S* 151.

(³) *Zootomie. S.* 572.

(⁴) Diss. de organorum respirat. in mammalium serie et de vesica natatoria piscium. Jenae 1818. p. 75.

Quae quidem omnes hypotheses ad dua capita apte revocari possunt: alii enim thymo *mechanicos* tantum tribuerunt usus; quales sunt: fulcire vasorum divisiones (Galenus, Bidlous), vasa defendere a clavicularum duritie; munimentum ipsi cordi praestare (Bartholinus); implere tantum pectus, in foetu quo pulmones soli hoc facere nequeant (Bidlous, Lieutaud, Senacius) — omnes plane reiiciendi; — alii vero vitalem quandam huic glandulae functionem concedunt. Ex his Nicolaus Steno pericardii liquorem e thymi secretione derivavit. Whartonus (1) succum nerveum e nervo sexto (nobis pneumogastrico) in thymum exspui, hic depurari, superfluas eius partes per lymphaeductus educi, purum vero succum a nervis in thymo disseminatis resumi in totius corporis nervorum usum fingebat. Pro diverticulo chyli eam habuerunt Hofmannus (2) „ne chyli vi cerebrum oneretur"; etiam Verheynius (3); postea Tyson, Keil, Cowper, hi experimento freti, quo ductui thoracico impulsa cera vel argentum vivum ad thymum redit: de hac re haud ita facile nobis persuaserint, quum nullum chylum in foetu parari verisimilius sit (4).

Dionysius (5) demum credidit, succum quendam a thymo secretum in foetu ad venas subclavias advehi, ubi cum sanguine misceatur ad instar chyli in nato homine.

Cuiusmodi viam ulterius persecutus nuper Florianus Caldanus (6) coniecturam suam de usu thymi proposuit. Pergrande memorat foetus hepar, quod tamen vix ante partum bili parandae inservire potuit, sed integrum a genitrice foetui tributum sanguinem recipiens, omnium consensu mutationem quandam in illo efficere creditur. Ille vero lympham e sanguine in hepate parari putat, ope vasorum lymphaticorum glandulae thymo (quam lymphaticam credit) advehi, in illa foetui „adsimilari", tandem ductui thoracico vel venis subclaviis afferri. — Vasa lymphatica quidem hepatis pleraque pone processum xiphoideum diaphragma perforantia, in mediastino anteriore ascendunt, tandem lymphatica e glandula thyreoidea vasa excipientia, in ductum thoracicum, nonnunquam

(1) Adenographia p. 100.

(2) Idea machinae humanae. Sect. 18.

(3) L. c.

(4) Iam Thomas Bartholinus (Spicileg. I. ex vasis lymphaticis Hafn. 1655. p. 15.) putavit „lacteum succum ex ramo thoracico thymo advehi e chylo quo embryo in utero nutriebatur".

(5) L. c. p. 497.

(6) Congetture sopra l'uso della Glandola Timo. Venez. 1808. 4.

etiam in truncum lymphaticum dextrum, sese effundunt (1). Caldanus vero nequaquam demonstravit, vasa illa in foetu decurrere per thymum. ,,La tenuità de vasellini linfatici del feto non permise che ottener potessi l'injezione della glandola timo in quella età''; quod tamen omnino necessarium videtur ad stabiliendam ipsius coniecturam. Fingit ille quidem thymum in homine adulto in glandulas complures (alcune picciole glandole circondate da molta tela cellulosa) resolvi, quas e vasis hepatis lymphaticis mercurio impleri posse tradit. In qua quidem sententia si glandulas (ut mihi videtur) intelligit cardiacas (vide supra p. 8.), non illi assentire possum, propterea quod in infantibus recens natis distincte utraque viderim organa, thymum atque glandulas istas cardiacas, nullo modo iuncta.

Germanici vero huius aetatis physiologici, collatis illis, quas supra enarravi ex anatome comparata observationibus, hanc legem de thymo constituerunt: ,,*glandulam thymum in omnibus animalibus, quae respirationem aliquamdiu interdum intermittant, praecipue in ipsa hac conditione quasi asphyctica, maiore evolutione frui* (2);'' qua nisi sunt ut functionem illius organi explicarent: respirationi enim, vel potius mutationi sanguinis ex venoso in arteriosum inservire vicario quodam modo dixerunt. Quod vereor ne speciosius quam verius dictum sit: non prorsus negaverim, mutationem quandam fieri; sed illius rationem atque naturam aeque ac antea credo obscuram.

Unius autem atque facile principis inter eos attingam sententiam, qui talem thymi usum accuratius explicare conati sunt, Tiedemanni (3). Is enim in animalibus sopitis succum chylo similem, id est parum oxygenatum, in thymum secerni, oxygenii inde in sanguine portionem augeri credit: qui vero chylus redeunte aestate resorbeatur et oxygenio saturetur. Quid vero? si talem poneremus processum in foetu, maior maiorque fieret in thymum accumulatio, post partum autem statim resor-

(1) Vasorum lymphaticorum progressum illum memorabilem ex hepate, ab Olao Rudbeckio primum descriptum rudeque delineatum (Exercitat. anat. exhibens ductus hepaticos aquosos. Arosiae 1653. Tab. II. fig. 1.), deinde Mascagnius atque Cruikshankius adsueta sua diligentia notaverunt. Enarratur tandem a Wernero et Fellero (l. c. p. 46.), qui aliam omnino inde statuerunt hypothesin, *lactis fabricae* inservire illa vasa credentes, quae ex hepate, ubi fiat, ad mulierum mammas illud ferant: argumenta eorum satis speciosa, nec vero adeo ut vera mihi videatur coniectura.

(2) Mueller de resp. foetus p. 13.

(3) L. c.

beretur. Nec unum vero nec alterum accidit: thymi moles cum totius foetus magnitudine comparata, minor potius, quam maior fit ultimis vitae foetalis mensibus, nec cito evanescit post infantis partum.

Si ergo in vita foetali illam thymo concedamus sanguinis mutandi facultatem, illae quae excernuntur sanguinis partes ubinam maneant, id foret explicandum, redeantne in sanguinem unde vix eiectae sunt, an alio quocunque modo consumantur. Ego autem, quum omnino hanc rem explicare nequeam, diserte *ignorantiam* meam fateri malo, quam inanibus verbis veritatisque specie et memetipsum et alios deludere.

XII.

Glandulae thymi varietates atque morbi, propter eius exilitatem et parvum in homine adulto momentum, parum solummodo pathologicorum attentionem occuparunt, excepto Meckelio, qui summa cum diligentia multa ex iis contulit, quae disiecta apud varios autores exstabant (1). Cui magnam exemplorum quae sequuntur partem me debere, libenter fateor.

Defectum thymi perrare observatum Meckelius in foetibus acephalis vidit, idemque tradit esse etiam a Winslowio et Brodie inventum (2).

Vix equidem in hoc loco mentionem facerem *divisionis* thymi in lobos plures, in foetibus infantibusque nonnunquam observatae, nisi a pluribus autoribus inter *vitia* notata fuisset: et a Meckelio quidem inter ea ex formatione impedita (*Hemmungsbildung*) relata: censeo enim vix id posse vitium appellari, quod plus minusve in omni foetus stadio invenitur. Meckelius huc revocat Guilielmi Cooperi observationem (3) qui in acephalo, loco thymi glandulas tres invenit parvas, sub microscopio inspectas thymi etiam fabricam referentes (cor, pulmones, diaphragma, ventriculus, hepar, renes, splen, pancreas, te-

(1) *Pathologische Anatomie. Bd.* I. *S.* 488. Fusius vero in *Abhandlungen aus der menschlichen und vergleichenden Anatomie. Halle, S.* 235. sqq.

(2) *Pathol. Anat.* l. c. — Plane *nullum* vidit thymum Wrisbergius (Descript. anat. embryonis. Goett. 1764. p. 23.) in foetu septem hebdomadum; *parvum* in foetu trium mensium. Utrumque naturale phaenomenon ille minus recte e morbosa foetuum conditione explicat.

(3) Account of an extraordinary acephalous birth; in Philosophical transactions for the year 1775. p. 314.

nuia deficiebant): — Ottonis (1) qui in aëncephalo, iusto tempore edito, labio leporino et appendicibus intestinalibus praedito, thymum e quinque lobis longis angustisque constantem describit: — et propriam ex embryone prioris stadii cuius thymus in lobos duos divisus erat (2).

In aëncephalo foetu novem mensium Otto (3) thymum magnum vidit: *superior eius finis glandulam thyreoideam attingebat:* quam varietatem pariter foetui iuniori naturalem esse supra monui (p. 33.).

Pergrandem invenit thymum in foetu aëncephalo Kelchius (4). Renardus (5) vero in foetu acephalo tam glandulam thymum quam suprarenales minores reperit. Et Meckelius (6) in duobus acephalis foetibus octomestribus thymi magnitudinem dimidiam solitae notavit, glandulasque suprarenales minimas.

Ex hisce observationibus in universum patet, nullam legem ferri posse de thymi praesentia vel forma in monstris ,,formationis impeditae.''

Iam attingam historiam a Sandifortio (7) narratam: puer tredecim annorum cyanoticus moritur: foramen ovale patebat, aorta ex utroque cordis ventriculo oriebatur: thymus aderat venis cavis et arteriis subclaviis superiacens.

G. Fleischmannus (8) thymum enormem notat in puero vigesimo septimo vitae die mortuo, in quo foramen ovale ductusque arteriosus late patebant.

Observationes iam insequentes de thymo magno, duro, scirrhoso vel putrido, deinceps enarro: nam quominus in certum eas ordinem redigam, impedit accuratioris descriptionis inopia. Caeterum de earum natura quantum fieri potest infra disseram. Ab infantibus igitur incipiam.

Portalius (9) in puero bimulo, ampliorem quam aetati congruus fuisset, thoracem gerente, convulsionibus prehenso et inde necato, thoracem et pericardium aqua turgescens tradit, thymum stupenda mole et

(1) Monstrorum sex humanorum anat. et physiol. disquisitio. Francof. ad Viad. 1811. Exemplum secundum.

(2) L. c.

(3) L. c. foetus primus.

(4) *Beiträge zur pathol. Anatomie. Berlin,* 1813. *S.* 85.

(5) Journ. de Médec. p. Leroux XXIII. p. 118.

(6) *Pathol. Anat. Bd.* I. *S.* 488.

(7) Observationes anatomico-pathologicae. Lib. I. c. I. p. 27.

(8) De Chondrogenesi asperae arteriae. Erlang. 1820. p. 18.

(9) Lieutaud historia anatomico-medica. Recensuit Ant. Portal. Recudi curavit I. C. F. Schlegel. Longosal. 1786. Tom. II. p. 241.

in quadam cavitate, cui prospiciebant ductus quam plurimi, serum nigrescens foventem. Cruveilhierius (1) in infante thymum tuberculis suppuratis obsessum vidit, ad instar pulmonum in ultimo phthiseos tuberculosae stadio. Lieutaudius (2) in cadavere pueri scrofulis enecati thymum maximum et scirrhosum invenit, pulmones etiam scirrhosos, involucro crassissimo obstructos: ,,putridam'' idem vidit hanc glandulam in syphiliticis et in phthisico quodam. Mangetus (3) in puella decenni scrofulis, tussi frequente, difficultate spirandi interemta, serum in utroque pectoris cavo, et in pericardio deprehendit. In apricum veniebat thymus maximus durus, callosus et subater. Pulmo sinister calculos plures exhibebat, dexter vero purulentus et calculosus inveniebatur.

Morgagnius (4) hanc narrat historiam. Puella tredecim annorum faustae semper valetudinis, postremis mensibus de impedita respiratione queri coepit, cum tussi frequente ventrisque intumescentia. Pulsus celer, durus, parcus: demum dyspnoeae paroxysmis correpta subito obiit. Thorax tantum seri continebat, ut dum cartilagines costarum secarentur, prosiliret. Thymus magnus. Pulmones caeterum fere sani.

Scheuchzer (5) in puero duodecenni, inter reconvalescentes discurrente, subito autem suffocato, praeter omnium viscerum turgorem thymum solito maiorem invenit ,,qui pressione sua poterat conferre multum ad dyspnoeam.'' Quo confirmari dicit observationem Caroli Richa (6), puerorum asthmata saepe oriri ex obesitate thymi.

Haller (7) puellae sexennis pulmones ulcerosos, glandulas colli et thymum valde tumidas et cystem ovi columbini magnitudine, robustissimis tunicis undique clausam, intus pure plenam, adnatam oesophago observavit. Hoffmannus (8) narrat thymum iuvenis quatuordecim annorum intumefactum, induratum et materia caseosa refertum, qua etiam glandulae scatebant subaxillares et ipse pulmo.

Heister (9) in puero tredecim annorum phthisico thymum describit enormis magnitudinis et scirrhosum. Harder pueri tredecim annorum cadaver resecans, affectione thoracis enecati, praeter omentum scir-

(1) Essai sur l'anatomie pathologique. Paris, 1816. T. II. p. 114.

(2) L. c. p. 241.

(3) Apud Lieutaud l. c. p. 242.

(4) De sed. et caus. Ep. XVII. art. 10.

(5) *Breslauische Samml.* 1723. Dec. *S.* 613

(6) Constit. Epid. Taurin. tert. p. 107.

(7) Opuscula pathologica. Laus. 1755. p. 12.

(8) Consultationes et responsa medica. T. I. p. 350.

(9) Compend. anatom. p. 118.

rhosum cum pulmone scirrhoso cohaerentem, pericardium sero plenum. Idem ([1]) in virgine e gangrena intestinorum mortua glandulam thymum duram tradit atque siccam. Slevogtius ([2]) in iuvene post haemoptysin sanatam tussi, respiratione difficili, puris exscreatione afflicto, quibus hectica tabes et tandem mors superveniebant, pulmonem ut scirrhus durum et exsiccatum invenit, glandulas nigras circa cor (nobis cardiacas) pure scatentes, et thymum pugnum aequantem intusque suppuratum, ostium in tracheam habentem. A Glissonio ([3]) inter sectionem rachiticorum deprehendebatur thymus magnus et scirrhosus; et Portalius ([4]) monet thymum et mediastinum in rachiticis scrofulosis saepe concretis repleta inveniri. Bordeu ([5]) thymum magnum vidit in adulta, et Haller ([6]) scirrhum thymi a se visum tradit.

Thymum durissimum et quasi osseum desribit Binninger ([7]) in puella trienni epileptica, vomitu pituitoso, tussi, spirandi difficultate interemta. Apud Bonetum ([8]) vero puella observatur, ,,quae cum tussi continua exspiratione laborabat: utrique pulmones tenacis et spumosae pituitae glutinae costis coaliti inventi sunt; superiacens thymus plane osseus erat''.

Verdries ([9]) thymum pugni magnitudinem exaequantem vidit totum steatomatosum, pulmonibus exulceratis, infarctis: aeger, qui dum iuvenis esset per longum tempus pectoris angustiam accusaverat, tandem ,,oesophagum quasi occlusum esse et in eo tumorem haerere in apostema transiturum ingeminaverat''. — Thiebaultius ([0]) hominis quadraginta quatuor annos nati resecans cadaver, tumorem conspexit, quinque pollices latum atque longum, in mediastino antico situm atque sacco quodam durissimo contentum, quem pro thymo habuit volumine morbide aucto. Walter ([*]) etiam in tribus adultorum corporibus thymum conspexit vel perstantem, vel mole auctum: quum vero in illis

([1]) Ibid. p. 260.

([2]) In Halleri disput. ad morborum historiam fac. Tom. II. p. 320.

([3]) Apud Lieutaud. Tom. II. p. 241.

([4]) Sur le Rachitisme. Paris, 1797. p. 260.

([5]) Récherches sur les glandes. p. 174. apud Hallerum cit.

([6]) Elem. Physiolog. T. III. p. 118.

([7]) Obss. et curat. medicae. Monbelg. 1673. Cent. III. Obs. 29. — apud Lieutaud T. II. p. 240.

([8]) Sepulchretum Lib. II. Sect. I. Obs. 89. S. 3.

([9]) Ephem. Nat. Curios. Cent. VII. Obs. 120.

([0]) Walter dans l'histoire de l'Academie de Berlin, 1786. 7. p. 53.

([*]) Ibid. p. 54.

thymi color esset rubicundus, vasisque abundaret organon, qualicunque suo officio illud praefuisse credit.

Meckelius I. (1) in milite viginti sex annorum continua anxietate oppresso, qui demum in aqua mortem petiverat, thymos invenit duos, tres pollices cum semisse longos, utrumque sex ad decem lineas latum: alter inflari potuit sicut thymus foetus. Cor pericardio adhaerebat.

Sandifortius (2) in sene thymum admodum longum, eodem, quem in foetu adtingit loco situm et foetalem magnitudine multum superantem vidit. Aliam e sene historiam tradit Meckelius III. (3): vir sexaginta trium annorum, viginti annos dyspnoicus, ante quatuor vero annos violentam peripneumoniam perpessus, tandem viscerum abdominis hebetudine confectus, moritur. In cadavere pulmones tuberculati, costis adhaerent: cordi, nihil praeter naturam offerenti, incumbit thymus, tres pollices longus atque duo latus, rubescens, corpus unum tantummodo formans sine ullis processibus.

XIII.

Memorabiliora autem, illique quod egomet infra enarrabo quoad signa morbi similiora insequentia sunt exempla: quorum primum accurate describitur a Gonnellio et Tozzettio (4).

Homo rusticus quinquaginta septem annos natus, robustus, qui antea semper bona valetudine fruitus erat, ante aliquot annos dolorem in pectore dextro accusabat transeuntem et subinde redeuntem: pressionem inde sentiebat ubi fortiorem laborem subiisset, et anxietatem quandam per horas aliquot durantem. — Nosocomium tandem adibat, quum dolores angorque increvissent et iam artus tumescere coepissent: sub processu sterni xiphoideo induratio parva distingui poterat. Arteriarum pulsationes lentae, non regulares, aeger longum sermonem facere non sustinebat: in latus sinistrum solum reclinare audebat: nam si in dextrum reclinaret, angor multo augebatur: faciei color coeruleus fiebat et calo-

(1) Mem. de l'Acad. de Berlin, 1755. p. 76.
(2) Opusc. anat. pathol. Lib. III. p. 45.
(3) *Abhandlungen* p. 249.
(4) *Eschenbach's vermischte med. und chir. Bemerkungen. Leipz.* 1784. *Th.* I. *S.* 3. — Historia vero desumpta est ex: Raccolta di opuscoli medico-practici. Volume II. p. 99.

ris ingratum sensum sub sterno habebat. Cibis assumtis signa haec semper in peius vertebantur. Pulsus mox solum viginti quatuor, artus inferiores frigidi fiebant, et in latere dextro tumor ingens oedematosus apparebat. Die ante mortem septendecim solummodo pulsus numerari poterant et tandem omnino desinebant; faciei color coeruleus penitus praevalebat et viribus omnino absumtis subito mortuus est.

Praetermittens ea quae de abdominis viscerum statu dixit autor, quum minoris sint momenti, iam ad thoracem describendum me converto: in cuius cavitate serum flavescens inventum est: pulmo vero sinister atropurpureus, inflammatus, pleurae costali adhaerens. Pericardium multo sero repletum; cor minus, contractum, sed solidum. In regione thymi tumor ,,mucocarneus'' irregularis aderat, quatuor pollices longus, tres latus, duo altus; pondus habebat unciarum novem cum semisse. Minor quidam tumor priori adpendens, subrotundus, ab atrio cordis dextro ad arcum aortae sese extendit, eiusdem structurae: sed ubi aortae impulsu semper compressus fuerat, duriorem et fere callosam massam referebat. Nulla vasa in tumore inventa sunt. Glandulae omnes, ipsae bronchiales a statu naturali nihil discrepabant.

Copiosissimam quoque huiusmodi affectionis historiam habemus ab Heineckenio, medico Bremensi, enarratam, quam insigni morbo affectorum organorum comitantur icones [1]: exscribam quae notatu dignissima in illa videntur.

Aeger viginti quatuor annos natus erat, et praeter id, quod puer quibusdam scrofularum affectus fuerat signis, satis bonae plerumque valetudinis. Vitam vero agens, qua nullo modo corpus exercebatur, difficultatem spirandi accusare coepit, angorem, lassitudinem, tussin siccam atque sudores nocturnos, quae signa quanquam remediis primum paullulum leviora facta essent, sensim sensimque increscebant; pulsus simul parvi erant, non regulares, praecipue vespere, et corpus rapide marcescebat. In hypochondrio dextro tumor obortus est, qui si rudius attingebatur dolorem efficiebat atque respirationis impedimentum: in dextro quoque latere tantummodo recumbere potuit. Et licet praestantissima variorum generum in usum vocarentur remedia aptaque praescriberetnr diaeta, malum nihilominus augebatur: frequentibus dyspnoeae atque angoris paroxysmis correptus est aeger, quibus adeo nonnunquam excru-

(1) *Hufeland's Journal.* 1798. *Bd.*V. p. 74.

ciebatur, ut nonnisi capite supino et inter scapulas reflexo spiritum ducere posset. Artuum tandem frigor supervenit, pulsibus minimis frequentissimis, atque intermittentibus, corpore ad ultimum maciei gradum extenuato, brachii denique tumore hydropico apparente. Asthmatis vero paroxysmus subito illum necavit, quum fortuito casu multum coenasset.

Cadavere resecto in abdomine nihil morbidi obviam venit: diaphragma tamen a thoracis quodam contento in latere dextro plane depressum erat. In thorace dextro fluidum aderat serosum ad libras tredecim, quod vix aëris expositum contactui iam in gelatinae speciem concresceret: in thorace vero sinistro ad libram fere unam atque dimidiam effusum erat serum, quod tamen non a solita differebat natura. Loco pulmonis dextri, cuius rudimentum solummodo remanebat durum vix duos pollices longum, tumor in conspectum venit decem pollices longus, octo latus, totum id pectoris latus implens, nec non in sinistrum porrectus: qui vero pluribus constabat partibus *botryoideis*, substantias continentibus steatomati, lipomati atque ossi similes, in nonnullis locis etiam duram et fere cartilagineam. A diaphragmate, quod in abdomen ab eo compressum erat, exoriens in dextro et in medio thorace ascendebat ad summum sterni partem, cum qua tam arcte coniunctus erat, ut vix cultello abscidi posset: ramos ad collum quoque mittebat.

Hisce subiungendam puto Budaei (1) historiam: qui in homine annorum triginta, a prima inde infantia respiratione difficili laborante, demum orthopnoea denato, pulmones corruptos, tuberculis obsessos vidit, thymum autem magnam in molem auctum, maximeque induratum, scirrhosum et quasi cartilagineum instar strumae vel potius steatomatis, vasis magnis ascendentibus, nimirum venae cavae arteriaeque magnae eorumque ramis ad brachia et scapulas euntibus, ipsique iugulo firmissime adnatam, adeoque totam illam cavitatem thoracis superiorem occupantem, ut motui ac ventilationi pulmonum nullum amplius spatium maneret.

Aliud etiam huc spectare videtur, quod ipse Edinburgi conspexi, morbi exemplum: nauta quidam robustus in nosocomio post brevem morbum, eum tamen violentissimum, dyspnoea maxime agitatus, denique delirans mortuus est. In cadavere ,,tumor sarcomatosus'' caput

(1) Ephem. Nat. Curios. Cent. I. Obs. 106.

infantis magnitudine aequans inventus est, pericardio incumbens: thorax sero repletus. Tumorem hunc videndi occasio non mihi sese obtulit, quod eo nunc magis doleo, quum huiusce aegri morbus mirum in modum mihi convenire videatur cum illo exemplo, quod iam in eo sum ut latius exponam. Est autem illud et signorum perspicuitate et accurata partium morbosarum post mortem inquisitione, prioribus exemplis omnibus ([1]) facile gravius et notatu dignius.

XIV.

Aeger ([2]) noster, faber bractearius, Stettini natus, annum complevit vicesimum. Puer iam de pectoris angustia conquestus erat: sed ceteroquin sanus, nullo modo anxius id curaverat, praesertim quum negotiis suis bene semper praeesse posset.

Mense Iulii huiusce anni balneo refrigerium accepit, remediis lene sudorificis facile debellatum: pectoris vero angor ab eo inde tempore ita increscebat ut die Iulii vicesimo secundo nosocomium oppidi adire coactus esset. Facies pallida erat, oculi nonnihil protrusi: labia coerulea, collum tumidum, venae iugulares plenae: respiratio tantopere impedita, ut quovis spiritus ductu scapulae levarentur et nares latius paterent. Primo tempore interdiu cubiculum perambulabat: sed somnus turbatus erat, quo insuper nonnisi erecta fere corporis positione fruebatur. Ciborum desiderium parvum, sitis modica, urinarum et alvi excretiones parcissimae. Pulsus parvi erant, febriles, nonnunquam intermittentes, praecipue vespere, tum maxime aucto statu febrili. Nulla tussis, nulla expectoratio.

Ex quo symptomatum nexu morbum suspicantes pectoris organicum, vel in pulmonibus, vel in corde, vel in maioribus vasis sangui-

([1]) Huc etiam pertinere videtur Ottonis observatio (*Pathologische Anatomie S.* 221.) foeminae quae struma laboraverat, cadavere in thoracis parte superiore et anteriore tumorem exhibente e glandulis mole auctis formatum, caput infantis aequantem.

Otto etiam in vitulis bis thymos invenit morbosos, alium scilicet magnum tuberculis maioribus scrofulosis refertum, alium mole non auctum, sed solito duriorem et tubercula scrofulosa continentem partim suppurata, excavata, pure repleta (*Seltene Beobachtungen zur Anat. Phys. Path. Breslau,* 1806. 1. *Heft. S.* 117.). In schola veterinaria Altorfiana ex equo glandulas vidit pone sternum sitas, pugnum aequantes, albidas, sebaceas (*Pathol. Anat. S.* 221.). Perrari tamen esse videntur eiusmodi morbi in animalibus domesticis, quum in schola veterinaria Berolinensi omnino ignoti sint, teste Doct. Gurlt.

([2]) Ex relatione Doct. Drofs.

feris situm, convenientes inde indicationes constituerunt medici, et remedia praebuerunt roborantia et adstringentia, quae vero symptomatis praecipuis vix ullum levamen attulere. Pedes simul tumescebant, urinaeque parcissima erat secretio quae signa ut diureticis remediis removerent, frustra dederunt operam.

Magis magisque interim miserum morbi urgebat vehementia: angor tantus erat ut subinde suffocari sese crederet. Ciborum appetitu omnino desinente corpus emaciebatur, nullo insuper somno recreatum. Die denique Augusti trigesimo mors supervenit.

Thoracis sectionem facientibus serum sese obtulit in eius cavis, viridescens, ad duodecim circiter libras; pericardium etiam uncias fere tres seri continebat. Cordis ventriculi nullo sanguine repleti erant: pulmones nullo modo cum pleura costali concreti.

Hucusque narratio Doct. Dross, qui eius nobis copiam fecit simul cum contentis thoracis morbo prorsus singulari correpti, quae in Museo anatomico iam servata, nunc describere conabor.

Primum quod in conspectum venit, tumor est insignis, forma fere rotunda pericardii superficiei superiori et anteriori, plane insidens: diameter ad longitudinem atque latitudinem quinque pollices aequat, tres vero altus est. In superiore et anteriore parte ille tumor sterni manubrio et mucroni iunctus est, et costae primae utriusque lateris: utrinque lobi pulmonum superiores adhaerent, immo partim ab illo comprimuntur; nusquam vero tumor in ipsos pulmones transit. Superficies eius ex parte glabra, ex parte nodulis pisiformibus et paullo maioribus obsessa, tela cellulosa arcte cum ea iunctis.

Pone eum tumorem, quem perspicuitatis causa *magnum* vocabo, et inter vasa magna, arteriam asperam et caetera in mediastino posteriori sita, minores sunt tumores, magnitudine quidem ovi gallinacei et minoris: qui omnes tam inter se quam cum illis vasis et magno tumore tela cellulosa arcte iunguntur.

Parvi eiusdem generis nonnulli tumores (magnitudine nucis avellanae) pericardii inferiori parti et superficiei externae adhaerent, cum prioribus nullo modo iuncti.

Qui omnes tumores eiusdem sunt fabricae: brunei quippe extrinsecus coloris, intrinsecus subfusci et albidi. Constant enim ex homo-

genea quadam materia, dura, subfusca, nec ad cartilaginem, nec ad fibrosam structuram recte referenda, et laminis telae cellulosae compressae albidis eum in modum traiecta et involuta, ut dummodo illam quae omnia circumdat telam removerimus, in partes vel lobos complures dissolvere possimus maiores tumores.

Quum vero tumorum structura, ut supra observavi, sit fere ubique eadem, in uno tamen magni tumoris loco, prope eius originem e pericardio, mollior extrinsecus substantia apparebat, et sectione facta materiae albidae, pultaceae paullulum effluit: unde evacuata cavitas speciem praebuit irregularem, quum parenchyma illud tumoris deliquescens involucra solum membranacea reliquisset.

Aorta ascendens, ubi pericardium relinquit, infra maiorem tumorem, sed inter minores emergit: et rami ex arcu oriundi plus minusve a morbosis partibus comprimuntur. Arteria carotis sinistra praecipue inter duos tumores quasi sepulta iacet. Venae subclaviae etiam pone magnum tumorem descendunt, longe inter illum et minores decurrentes. Vena azygos pariter inter tumorem et bronchum dextrum compressa in venam cavam superiorem sese effundit. Vena cava inferior omnino libera remanet, estque nullo modo morbo implicata.

Nervi vagi etiam insigni hoc morbo correpti apparent. Sinister enim pone tumorem quendam, ovum fere gallinaceum mole sua aequantem, decurrit, ipsa eius substantia manifeste depressus. Dexter superne quidem inter duos eiusmodi tumores pressus descendit: infra autem, ubi alterius tumoris pressio desinit, alter, isque anterior, ad spinam dorsalem ita eum ursit, ut membranae magis tumorem illum obvelantis, quam nervi speciem gerat: difficillime ipsum nervum cultello exhibere potui. (Cf. Wrisbergii observationem p. 20 cit.).

Aspera arteria cum bronchis eodem modo coarctatur. Infra divisionem bronchorum glandulam invenio ovum columbinum aequantem, in saccum membranaceum conversam: qui sine ullo organico nexu materiem cretaceam continet, semifluidam, albissimi coloris.

In pleura pulmonali prope iuncturam cum pericardio hic illic glandulae apparent pulmonales (magnitudine pisi vel fabae) quae praeter materiem illam subfuscam nonnihil continent *materiae pulmonum nigrae*. Una adhuc concretio calculosa vel cretacea in medio pulmone dextro est, prope pleuram, et parva. Caeterum pulmones fere sani sunt, nul-

lis tuberculis phthisicis oppressi, nullo modo „hepatisati"; solito tamen paullulum minores.

Cor etiam solito minus, attamen sanum: in superiore annuli foraminis ovalis margine canalis superest, specillo pervius.

Expositis nunc tam aliorum quam nostris hisce de thymi morbis observationibus, superest ut his collatis omnibus, quaedam iis generalia animadvertamus, omnibusque communia. Praetermissis igitur thymi varietatibus in monstris, supra descriptis ([1]), et in ipsas potius quas dicunt *degenerationes* revocata animi intentione, primum ea sese quaestio offert: utrum tumores illi tam ab aliis quam a me observati re vera e glandula thymo mutata constent ([2]), an fortuito morbosa quaedam materia in hoc loco sedem occupaverit.

Verus thymus in nonnullis quas excerpsi historiis in nullam dubitationem cadere potest: ut in Portalii observatione prima; in notabili illa Sandifortii ubi cordis vitium simul aderat; et generatim in plerisque, ex infantibus, ex pueris puellisque desumtis (a Portalio, Cruveilhier, Lieutaud, Mangeto, Morgagnio, Scheuchzero, Hallero, Hoffmanno, Heistero, Binningero, Boneto; Meckelii etiam prior historia); in qua quippe aetate thymus suo iure quamvis parvus perstare debeat.

Incertior res est, ubi de adultis, immo de senibus quaeritur; praesertim quum facile coniici possit huiusmodi tumores sicut in quavis alia regione, ita quoque in hocce thymi, diu antea resorpti, loco formari posse. Quum vero in contrariam sententiam concedere necesse sit, tumorem quendam in mediastino anteriore situm, pericardio incumbentem, ante vasorum magnorum origines extensum revera thymi locum occupare, ex cuius parenchymate oriundum eum esse cogitari quidem potest; apparet ad certum aliquem finem hanc quaestionem non ita facile posse perduci. Cuius tamen rei non est nimis grave momentum: praesertim quum hi tumores (id quod postea demonstrabitur) *mole* tantummodo *sua*, neque vero, ut in caeteris plerumque partibus, impedita vel penitus interemta quadam alicuius organi functione damno esse reliquo corpori videantur. — In nostra quidem historia certe tu-

([1]) Pag. 39.

([2]) Meckelius dubitat. *Mensch. Anat. Bd.* IV. *S.* 458. Walter plane negavit (Hist. de l'Academie de Berlin, 1786–7. p. 55.)

mor quem appellavi *magnum* ad thymum referendus est, ad quam sententiam inter alia id me adducit, quod inde ab infantia aeger pectoris angorem senserat. De aliis vero tumoribus pone priorem illum inter vasa et asperam arteriam sitis minus certe constat. Nec mirandum est, correpta simul thymo glandula vicinas etiam glandulas, scilicet cardiacas, eodem modo esse affectas, sicuti in posteriore scirrhi mammae stadio glandulae axillares nunquam fere non morbosae fiunt.

Difficile foret in ordinem quendam iuxta structuram suam illos tumores redigere, quos in situ thymi inventos supra notavi: alii enim propter descriptionis inopiam ad nullum possunt certum nomen revocari: in qua difficultate id insuper notandum est, quod antiquiores autores plerumque vocibus *steatomata* et *scirrhus* utantur, quum tamen verisimilius sit, nunquam verum scirrhum in hac regione oriri: steatomatumque nomine varii varias intelligant degenerationes: — alii tumores ex *compositorum* genere sunt, id est varias continent structuras non solum stadio, sed ipsa morbi natura diversas: cuius exemplum praebet historia ab Heineckenio enarrata.

Thymum ergo solummodo magnum pro aetatis ratione, vel mole auctum notaverunt Morgagnius, Scheuchzer, Bordeu, Meckelius I. Walter, Sandifortius, Meckelius II.: de molliori agunt, vel materia caseosa referto Hoffmannus, Slevogtius (?), Haller (?); — de tuberculis Cruveilhier: osseum tradunt thymum Binninger, Bonetus; tophis cretaceis refertum Vater.

Plerosque alios thymi tumores inter steatomata, sarcomata, scirrhos etc. relatos eandem fere naturam habere crediderim, ac illos, de quibus in glandulis bronchialibus sitis supra egi. Nostrum inter alios tumorem ad *sarcoma simplex* Abernethii ([1]) revocandum esse persuasum habeo: multo etiam distinctius hic quam in superiore casu striae cellulosae observantur, quarum Abernethius vix mentionem facit. Ampliorem vero huius rei disquisitionem supervacaneam fore credo, quum in ipsa morbi historia fusius et quantum fieri poterat diligenter tumores descripserim.

([1]) L. c.

XV.

Glandularum thoracis atque thymi morbis iam expositis, non prorsus inutile fore puto, antequam ad generaliorem symptomatum recensionem me convertam, nonnulla afferre exempla tumorum qui simili modo ac illi quos supra descripsi pectus occupaverunt, sed non ad ipsas glandularum affectiones sunt revocanda. Perfectiorem inde omnium thoracis tumorum historiam fore spero, atque accuratiorem definitionem symptomatum quibus indicantur.

Imprimis autem huc retulerim ,,historiam atrocis rarissimique morbi'' a Boerhavio de Marchione de Saint Auban editam (1). Vir generosus, in secundo vitae anno levissima quidem lenissimae rachitidis signa difflavit: et quum quintum ageret aetatis annum tumidulo abdomine atque duriore aliquamdiu laboravit. Ex quo inde tempore ad virilem usque aetatem bene sese habuit, tandem post haemorrhoides sanatas difficultate spirandi correptus est, quae magis magisque urgens, tandem eum interemit. In cadaveris thorace magna moles inventa est, quae a summo sterno oriens usque ad vertebras totum spatium oppleret, ad latera vero utrinque versus costarum media in quatuor quidem uncias pedis et ultra sese extenderat. In sinistrum latus magis tendens, eius pulmonem plane compresserat et sanguini aërique fere impervium reddiderat. Massa pendebat libras sex vulgares: coloris erat candidi instar purissimi sevi. Caeterum unum consolidatum corpus erat, in quo nullum omnino vas conspicere liceret; neque etiam ulla membrana praeter externam ambientem in ipsa interiore parte videri poterat: attrita inter digitos, adipis instar deliquescebat: unde apparet verum steatoma id fuisse.

Duo huic similia notantur exempla apud Lieutaudium (2), alterum ex Miscellaneis curiosis desumtum, alterum autore Portalio: in utroque moles adiposae mediastinum obruentes tandem suffocaverunt aegros.

Aliud vero a de Wind (3) enarratum exscribo e libro C. J. van den Bosch (4): de ipso tumore tantummodo est sermo, quum de aegri

(1) Lugd. Bat. 1782. 8.

(2) L. c. T. II. p. 237.

(3) In Verhandelingen van het Zeeuwsche Genootschap. T. II. p. 491.

(4) Comm. exhibens anat. systematis respirationi inservientis pathologicam. Harl. 1701. 4.

historia nihil innotuerit. Tumor cysticus erat tactu durus, colore albus, inaequalis, polita membrana vestitus et totum pectoris spatium a claviculis ad infimum costae quintae marginem adimplens, qui pro varietate materiae in hac mole conspecta tres illas cysticorum tumorum species continebat. Nam in latere tumoris dextro saccus haerebat magna pultaceae materiae copia turgens; in sinistro alius delitescebat mellicerosa materie repletus, qui tamen ambo sacci peculiaribus suis membranis vestiti appendices alterius erant corporis intermedii, a quo facile separari poterant. Corpus ipsum veram steatomatis naturam induerat, crassiori membrana evolutum ac duriori materia infarctum: tres libras ponderabat.

Aeger quem Jamiesonius (1) descripsit, eam praecipue ob causam dignus est qui animadvertatur, quod ciborum in illo transitus per oesophagum magis impeditus fuerit quam in plerisque aliis. Auriga enim triginta sex annorum dolores accusavit in regione cordis atque inter scapulas, et deglutitionem impeditam, quae signa post animi affectionem oborta, per sex inde annos increverunt. Remediis nihil effectum est: et orthopnoea tandem gravissima, vomitu atque singultibus supervenientibus, interemtus est. Pulsus per totum morbi decursum debiles fuerunt, nonnunquam intermittentes. Corpore aperto ingens steatoma inventum est, magnum thoracis partem implens, utrinque pleurae, mediastino et pericardio accretum. Cum oesophago descendens, per diaphragmatis foramen ab illo dilatatum transiens, ad pylorum usque progressum erat, ventriculum comprimens. Structura tumoris dura erat, ita ut cultro vix incidi posset, color albus: in duriore vero substantia cava quaedam videbantur, quorum alia materiem continebant melliceri similem, alia atheroma, alii pus mali odoris. Caetera viscera sana erant.

Lubenter hic etiam historiam enarro notatu dignissimam, hoc ipso anno publici iuris factam a I. A. Gordonio (2), cuius vix similem credo usquam traditam esse.

Foemina unius et viginti annorum mense Iulio 1822 pneumonia laboraverat violenta: qua vero solitis remediis, quae antiphlogistica dicuntur, debellata, nihilominus pulsus remanebant frequentissimi, et tus-

(1) Edinb. Medical Essays. Vol. III. p. 353.

(2) Medico Chirurgical Transactions. Vol. XIII. P. 1. pag. 12.

sis convulsiva quasi et suffocans, cum sputis primum quidem mucosis, postea autem purulentis (?).

Mense Augusto tumor in conspectum venit infra iuncturam claviculae sinistrae cum sterno, nucis magnitudinem primum aequans, et pulsans. Quo vero supra claviculam ascendente respiratio magis magisque oppressa est: nec tamen pulsuum frequentia imminuta. Venaesectionibus per singulas hebdomades factis illa symptomata sunt cohibita, valetudoque omnino melior facta. Verno autem anni 1823 tempore tumor, qui per quatuor menses non erat immutatus, asperam arteriam opprimere coepit, quo suffocationis periculum augebatur. Mense Iunio tandem mollior factus et cutem perforans fluidum excrevit serosum, quod ad Augustum usque inde profluebat. Tunc autem collabens tumor externus plane evanuit. Die 17mo Octobris iterum conspecta aegra febre correpta erat et dyspnoea, sine aliis morbi in thorace siti signis: 20mo vero obiit.

Thorace aperto tumor sese monstravit in mediastino anteriore, sterni adhaerens parti superiori et mediae atque claviculae: thoracis cavum sinistrum liquoris copiam continebat: pulmones autem in plerisque locis utrinque adhaerentes, oedematosi. Cor vasorumque origines sani, praeter arteriam innominatam, quae tela cellulosa inclusa erat tumorem circumdante. Huius autem parietes ubi sternum attingebat, tendinei erant, ubi partibus incumbebat mollioribus, e tela cellulosa tenui constabant. Continebantur in tumore fluidum serosum, materia sebacea, pili, et ossa, unum quidem maxillaris superioris speciem referens, aliud alveolae similitudinem gerens; atque dentes septem, duo incisivi, duo cuspidati, tres molares.

XVI.

Superest ut quaedam in universum disseram de symptomatis quae morbos, quos tractavi lymphaticarum glandularum atque thymi, et tumores illos non ad glandulas referendos, quos modo descripsi, in vivo corpore comitantur. Qui quidem omnes duobus praecipue modis symptomata efficere possunt: vel enim degenerationes nullam subeunt mutationem et magis magisque increscentes mole tantummodo sua functiones afficiunt organorum vicinorum: vel ipsae degenerationes sive mollefactae

deliquescunt (quod de tuberculis fieri constat sed aliis etiam nonnunquam accidit tumoribus), sive ulcerationem producunt bronchorum atque tracheae; quod saepissime de calculis notatur, de aliis quoque tumoribus apud Corvisartium et Cajolium.

Inter illos, qui mole solummodo sua mala afferunt corpori revocandi sunt thymi tumores. Non me latet, Meckelium, in quo loco respirationis vicariae quoddam munus thymo tribuit([1]), argumento uti inter alia hocce, quod in iis, quibus thymus vel persteterit vel in tumores versus sit, vitium fere semper adfuerit vel cordis vel tumoris. Mihi potius videtur, si vitia talia adfuerint, illa ipso thymi tumore effecta esse, neque vero tumoris causam praebuisse. Verum cordis vitium congenitum nonnisi in Sandifortii puero observatum est (p. 40.): in nostro aegro foraminis ovalis rudimentum supererat, quod vero tam saepe accidit, ut vix ad vitia possit referri: quin in altero nostro aegro, qui glandularum laboraverat tumore, idem observatum est. Nullum autem praeterea nostrum thymi tumorem comitabatur vel cordis vel pulmonis vitium sive morbus (si minimum illum excipias calculum in pulmonibus); quamvis omnium thoracis viscerum maxime perturbatae essent functiones atque impeditae. — In Tozzettii aegro pulmo inflammatus esse dicitur: in illo quem Heineckenius notavit totus fere dexter pulmo evanuerat: e relatione vero non discerni potest, utrum tumore thymi omnino compressus fuerit, an alio quodam morbo absumptus: prior tamen sententia veri videtur similior.

Est porro symptomatum varietas secundum degenerationum duritiem, et magnitudinem, et locum quem occupant. Quae tamen admodum diversa sese manifestant ratione, ita ut ex singulis illis causis omnino nequeant illustrari, sed ad communem illarum actionem, nobis incognitam, sint referenda. Ex variis enim historiis supra enarratis patet, minores saepe tumores, quamvis in iisdem collocati essent locis, ac in aliis aegris grandiores, eandem tamen, imo maiorem effecisse perturbationem in tracheae, pulmonum et oesophagi functionibus.

Moles autem tumorum compressionem potest efficere in asperam arteriam, bronchos atque pulmones, in cor, in vasorum origines, in oesophagum et in nervos vicinos. Symptomata vero, quae ex singulis illis prodire possunt conditionibus, deinceps attingam.

([1]) *Abhandlungen. S.* 260.

Angor vel *respiratio difficilis* nunquam deest, ubi maius in thorace spatium occupant tumores, et inde tam pulmonum quam cordis coarctant vel impediunt motum. Tanquam princeps ergo morbi signum notantur in utroque nostro aegro, in Cajolii, Tozzettii, Heineckenii, Boerhavii, Iamiesonii. Difficultas spirandi inter minorum etiam tumorum signa observatur: maior, si duri vel ossei erant, minor, si mollioris structurae. In nonnullis vero aegris *orthopnoea* tandem oborta est, nulla enim nisi erecta corporis positione spiritum ducere potuerunt: quod ita facile explicatur, quod illa solummodo positione pulmones sublevarentur aliquantulum ab ingente tumoris mole, quae recumbente aegro, illos plane deprimeret (in Cajolii aegro, nostro secundo, Tozettii secundo, Heineckenii, Boerhavii, Iamiesonii).

Tussim etiam tracheae atque pulmonum compressio atque irritatio facile potest procreare: quam consentaneum est illos maxime opprimere aegros, in quibus tumores ipsam tracheam vel imprimis eius ramos attigerunt. In secundo quidem nostro aegro plane deficiebat, in primo vero aderat. In osseis praecipue glandularum bronchialium tumoribus illum observari iam supra (p. 28.) notavi.

Inter *pulsus* varietates necesse est, illas quae a turbato cordis motu oriuntur distinguamus ab iis, quae a tumoribus in arteriarum origines prementibus efficiuntur. Quare in huiusmodi morbis id attendendum est, quod in plerisque etiam aliis haud exigui est momentí, ut non solum arteriae radialis pulsus inquiramus, sed ipsius etiam cordis pulsationes vel aure imposita vel stethoscopii ope sedulo observemus. Cordis motus a tumorum pressione ita perturbari potest, ut vel rariores fiant, id quod in Tozzettii aegro (p. 43.) notatur, vel frequentiores, quod in plerisque aliis accidisse videmus. Pulsus irregulares, intermittentes, ex eadem causa fiunt. Arteriarum vero subclaviarum coarctatio pulsus reddidit *parvos* in aegro nostro secundo; et pariter in Cajolii aegro arteriae radialis dextrae minores effecit quam sinistrae.

Labiorum coloris coerulei, in eodem nostro aegro observati, causam aperte praebuit impeditus sanguinis e capite reditus, compressa utraque vena anonyma; quin etiam venae iugulares sanguine tumidae in collo conspiciebantur.

In plerisque, qui maioribus pectoris tumoribus laboraverunt, *hydrothorax* ortus est, vel cum hydrope pericardii vel sine illo. Id quod in

aegro nostro utroque accidit, in Tozzettii etiam utroque, et in Cajolii; in puero etiam bimulo a Portalio notatur (1); in puella a Mangeto; in puella cum pulmonibus plerumque sanis a Morgagnio, in aegro suo ab Heineckenio, ubi fluidum in dextro thoracis latere effusum prorsus insolitam indolem exhibuit. Quum saepius nec cor nec pulmo ullo alio laborent vitio, quod pro hydrothoracis causa haberi possit, e tumorum in venas, praecipue azygon, pressione eum explicandum esse puto (2). Seri autem illa effusio spatium pulmonum motui relictum per se satis angustum magis etiam coarctat, et spirandi auget difficultatem.

Oedema tam faciei quam pedum, quod saepius illos morbos comitatur, et in Tozzettii aegro secundo tumor hydropicus in thorace externo ad similem revocanda sunt causam, nempe tumorum in venas pressionem.

Dysphagia a glandularum thoracis tumoribus aborta iam diu notata fuit (3): praecipue vero Matthias van Geuns (4) atque Bleulandius (5) inter praecipua deglutitionis impeditae causas illos revocaverunt. In nostris quidem aegris vix illud observatum fuit signum: plura vero supra citavi exempla, quibus glandularum oesophagearum nec non bronchialium tumores vel concretiones osseae deglutitionem difficiliorem reddiderant, in nonnullis vero ipsam tandem mortem adduxerant. In Jamiesonii aegro tumor cum oesophago descendens plane impedita ciborum deglutitione mortem immediate attulit.

Ciborum taedium atque emaciatio praecipue inter aegri nostri secundi symptomata, vomituritio contra in primo observata est. Videbimurne nimis audacter progredi, si a nervorum vagorum compressione haec symptomata effecta dicamus? In secundo certe aegro illorum fabrica ab urgente tumorum mole plane destructa erat.

Praeter illa signa non dubito quin exploratio acustica (6) aliquid conferre possit ad constituendam tumorum nostrorum si maiores evase-

(1) Apud Lieutaud II. p. 241.

(2) Neminem spero fore, qui haec ita intelligit, ac si de vera venarum effusione sim locutus. Id profecto satis constat, quod ubicunque propter venarum plethoram nulla fluidorum resorptio fieri possit, et magis magisque in dies aucta eorum copia, hydrops insequi debeat.

(3) Riolani, Laurentii, Diemerbroekii sententiae apud Morgagnium. Epist. anatom. IX. p. 46.

(4) In Actis Haarlemensibus. Tom. XI. P. 3. *Sammlung auserlesener Abhandlungen für praktische Aerzte Bd.* IV. *S.* 166.

(5) Obs. anat. medicae de sana et morbosa oesophagi structura. Lugd. Bat. 1785. p. 65.

(6) Vix monitu opus est, me de pectoris percussione loqui ab Auenbrüggero proposita, ac de „auscultatione'' vel cum aure vel stethoscopii ope facienda, quam Laenneccius fusius descripsit.

rint diagnosin. In qua re doleo, quod nullae in promtu sint, quibus uti possem observationes, quum ipse Laenneccius propter horum morborum raritatem nullam eorum fecerit mentionem. Aperte tamen huc pertinet Cajolii observatio, qui manum imponens aegri sui sterno dum tussiret, undae quasi sentiebat impetum, quem tumoris efficiebat motus. Ex coniectura quaedam ausim dicere, de effectibus, quos tales tumores in percussionem atque auscultationem habituros crediderim. Ubi maiores ergo adsunt thymi vel glandularum tumores, tam sterni quam mediae dorsalis regionis percussio sonum praebebit obscurum, spatio nimirum, quod alioquin a pulmonibus occupatur, substantia solida repleto. Si vero reliquae thoracis partes naturalem praebent sonum (quod tamen propter hydrothoracem secundarium saepe non accidere poterit) et imprimis illae, quae lobis pulmonum superioribus respondent, in quibus frequentius alii sedem suam assumunt morbi; tunc verisimilius erit signa affectionis cuiusdam thoracis orta esse a tali tumore. Idem valebit de auris vel stethoscopii ad illas thoracis partes applicatione, quibus in medio thorace nulla audienda erit respiratio, si ad maiorem molem thymi vel glandularum, vel alii quidam in illa regione increverint tumores. Illi vero, qui tracheae arteriae appendunt tumores tussi commoti, impetu suo auscultationis ope animadverti poterunt.

In Tozzettii tandem secundo aegro tumor ad unam sterni partem externe pertrusus narratur: Heineckenius etiam in suo hypochondrium dextrum animadvertit tumens a mole in thorace superiacente: fungus medullaris contra (quem descripsi p. 31.) e glandulis sternalibus obortus, sternum perforans, in medio pectore tumorem formaverat insignem externe conspiciendum.

Illa ergo sunt signa, quae tumores prae se ferunt ex eorum mole provenientia: si vero mutationem quandam subeunt, si molleſiunt vel duriores factae partium vicinarum efficiunt ulcerationem, alia quaedam symptomata notanda sunt. Quando enim tumores prope tracheam siti illam perforant, morbus inde fiet phthisis trachealis nomine a Sachsio recenter descriptus, e cuius libro duo excerpsi exempla supra enarrata Corvisartii et Cajolii (p. 20.). Quando tubercula phthisica glandulas bronchiales et pulmonales vel etiam thymum obsedentia deliquescunt, tum fieri potest, ut in bronchorum quendam sese aperiant: id vero a nullo hucusque autore distincte conspectum esse credo. Calculos etiam

tam in glandulis bronchialibus quam in pulmonibus collocatos, in bronchos excerni et tussi eiici posse supra monui (p. 28.).

Haec fere sunt, quae de morbosis glandularum thoracis et thymi conditionibus aliisque, quae huc pertinere viderentur rebus dicenda habebam: quae quam pauca sint et quantopere egeant iteratae observationis luce, sentio. Amplissimum equidem laboris fructum percepisse videar mihi, si ad hanc anatomiae pathologicae partem, non augendam, sed illustrandam quidquam contulerim. De illorum autem morborum *cura* nihil subiungere volui, quum et difficilior ea res sit, et ultra propositi fines iam ista me inquisitio abripuerit.

ICONUM EXPOSITIO.

Tabula prima

partes morbosas illustrat e cadavere iuvenis, cuius historiam vid. p. 21.: tracheam, cor, glandulas tumidas, a tergo conspectas exhibet.

a. Arteria aspera,
b. bronchus sinister,
c. divisiones bronchi dextri,
d. cor, pericardio obtectum,
e. arcus aortae,
f. vena quaedam pulmonalis dextra,
g. glandulae tracheales tumentes tracheam abientes atque illam coarctantes: in illis, quas resectas cernis, materiae cretaceae cumulos conspicis,
h. glandula ad tracheae divisionem, in insignem tumorem conversa: incisione facta in illius substantia (cuius descriptionem invenies p. 22.) materiae nigra et cretacea conspiciuntur.
i. tumores quidam minores, prioribus adpendentes,
k. glandulae pulmonales sinistri lateris non mutatae,
l. glandulae eaedem dextri lateris, maxime tumentes.

Tabula secunda


cum tertia contenta thoracis aegri demonstrat, pag. 47. descripta: secunda ab anteriore parte illas exhibet, ita ut incisionibus factis interior etiam tumoris structura appareat.

a. Sterni manubrium a mucrone abscissum,
b. costae primae sinistri lateris pars, tumori adhaerens,
c. eadem costa dextri lateris;
d d. tumoris magni, quem pro *thymo* habui, superficies externa nodulis obsessa,
e. minores quidam tumores, priori iuncti,
f. magni tumoris sectio perpendicularis, interiorem eius structuram monstrans: in superiore parte vas parvulum in tela cellulosa iacet.
g. lobi quidam magno tumori adhaerentes,
h. sectio altera, in illam tumoris partem facta, quae emolliri coeperat. Fluido grumoso emisso, cavitas formatur, quam transcurrunt telae cellulosae parietes,
i i. pericardium apertum: in inferiore illius parte tumores nonnulli minores,
k k. pulmones: in lobo dextro pleurae insident prope iuncturam cum pericardio tumores duo, quorum unus resectus structuram similem ac in superioribus monstrat et materiem pulmonum nigram.
l. cordis superficies externa,
m. eiusdem interna.

Tabula tertia

posteriorem earundem partium imaginem exhibet.

a. Sterni manubrium,
b b. eiusdem cavitates claviculares,
c c. costa prima utraque,
d d. tumoris magni pars posterior,
e. sectio, qua etiam interior structura et pulmonis pars ab illo compressa conspiciuntur,
f. pars sectionis anterioris, quam in secunda tabula melius vidisti,
g g g. minores eiusdem fabricae tumores,
h. trachea,
i i. uterque bronchus,
k. arteria aorta,
l l. arteriae carotides: sinistra praecipue inter duos tumores intrusa valde compressa,
m m. arteriae subclaviae,
n. arteria thyreoidea sinistra, (vel forsan vertebralis) ex ipso arcu aortae oriunda,
o o. vena subclavia utraque, inter magnum et minores tumores descendens,
p p. nervi vagi in tumorum superficie descendentes (vid. p. 48.),
q q. glandulae parvae tracheales a naturali forma non discrepantes,
r. glandula bronchialis, in saccum versa, qui massam cretaceam continet,
s. alia quaedam glandula (oesophagea) massa nigra pulmonum ex parte referta, in
t. tela cellulosa mediastini posterioris insidens,
u. oesophagus,
v. pericardii pars,
w. cor,
x. pulmones,
y. vena azygos.



F. G. Becker. del.

F. Guimpel. sculp.

THESES.

bsorptionem per venas fieri nullo modo stricte demonstari potest.
ulla datur morborum thoracis certa diagnosis sine exploratione
custica.
morborum syphiliticorum quibuslibet formis atque stadiis curan-
is nec mercurio egemus nec ullo alio specifico.
enis melius ligatura quam sectione removetur.
eratotomia ad lentem crystallinam extrahendam *sursum* facta illi
raeferenda est quae *deorsum* fit.
ariolae et varicellae ex eodem oriuntur contagio.